This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

601.8
E63.4can
1866

OCT 15 1901

Harvard College Library
FROM
THE LIBRARY OF
ALPHONSE MARSIGNY

GIFT OF
THE J. C. AYER CO.
LOWELL, MASS.
RECEIVED MAY 24, 1900

Deposited in
ANDOVER-HARVARD LIBRARY

S. EPHRAEMI SYRI

CARMINA NISIBENA.

Ephraem Syrus, Saint

S. EPHRAEMI SYRI

CARMINA NISIBENA

ADDITIS PROLEGOMENIS ET SUPPLEMENTO
LEXICORUM SYRIACORUM

PRIMUS EDIDIT, VERTIT, EXPLICAVIT

Dr. GUSTAVUS BICKELL.

LIPSIAE:
F. A. BROCKHAUS.

1866.

Scan 862.4

94¹/64

Harvard College Library
May 24, 1900
Gift of
The J. C. Ayer Co.

LIPSIAE: IMPRESSIT F. A. BROCKHAUS.

601.8
E63.4can
1866

PRAEFATIO.

Cum rationem originis et consilii hujus libri in prolegomenis reddiderim, nihil jam restat, quam debitas gratias agere et societati germanico-orientali, quae libri imprimendi sumptus ex parte tolerando ejus editionem magnopere adjuvit, et amico doctissimo et humanissimo Dr. Guil. Wright, cujus de hoc opere merita suo loco commemorata invenies.

Ceterum, libro ad finem perducto, jam magis magisque video, quot laborat defectibus, timeoque, ne venerandi Syrorum prophetae splendor editoris vitio nimis obscuretur. Minime igitur moleste feram, si aequi judices ea, quae minus recte posui, reprehendent.

Errata, saltem ea, quae obliquis typis expressa sunt, ante lectionem libri corrigere praestabit.

I. De codicibus hymnorum Nisibenorum.

Cum anno 1862 per bimestre Londini commorarer, ibique codicibus Musei Britannici syriacis operam navarem, complura inter ea S. Ephraemi scripta, hactenus inedita, inveni. Haec igitur publici juris facere mihi congruentissimum visum est, cum veneranda antiquitate, sermonis elegantia, argumenti gravitate S. Ephraem alios omnes scriptores syriacos longe superaret. Alia tamen ex iis propediem a Dr. Overbeck edentur, alia dubiae sunt authentiae; itaque et propter temporis angustias, hymnos tantum, qui dicuntur, Nisibenos mihi edendos constitui.

Primum de codicibus Musei Britannici, e quibus hanc editionem confecimus, dicendum est. 1) Codex addit. 14572, quem litera A designavimus, nihil aliud praeter hanc hymnorum collectionem continet. Folia adhuc habet 117, postquam multa ex iis abscissa sunt. Primum deficit inter fol. 9 et 10; tum major est lacuna inter fol. 15 et 16, ea autem, quae inter fol. 25 et 26 invenitur, paucis versibus exceptis, per codicem B compleri potest. Ex eodem fonte omnia hauriri possunt, quae inter fol. 26 et 27, nec non pars eorum, quae inter fol. 27 et 28 desunt. Una tantum pagina desideratur inter fol. 38 et 39. Inter fol. 44 et 45 denique una quoque pagina deest, quae a codicibus B et C exhibetur. De quibus in annotationibus ad textum syriacum accuratius dictum est. E characterum proprietate codex saeculo sexto adscribendus videtur; ea autem subscriptionis pars, quae

sine dubio personam et aetatem scribae indicabat, a Moyse abbate erasa est, ejusque loco haec verba substituta sunt, quae etiam in aliis multis codicibus leguntur: „*Emit hunc librum Moyses peccator, abbas Syrorum in deserto Scetico, pro monasterio; non autem licet ulli homini, abducere eum ex monasterio aut delere hanc admonitionem; si quis autem hoc ausus erit, sit maledictio Dei super eo; propitius autem sit Deus omnibus, qui talia non perpetrant et omnibus, qui cum hoc libro communicant! Amen!*“ Verbis „*pro monasterio*“ addidit alia manus: „*monasterio genetricis Dei in deserto Scetico, quando Bagdadum profectus erat in negotiis sancti hujus monasterii et monachorum ejus. Deus propitius sit ei et mortuis ejus, et omnibus, qui cum iis communicant. Venerunt ad nos hi libri ducenti quinquaginta cum Moyse abbate supradicto, anno Graecorum 1243*“ (i. e. Chr. 932). — Textum praebet optimum et accuratissimum; saepe retinet verba rara aut obsoleta, quae in aliis codicibus perspicuitatis causa mutata sunt.[1]) Lectiones quidem aliorum manuscriptorum primo obtutu nonnunquam meliores videntur; sed, re accuratius inspecta, fere semper apparet, in iis sententias difficiliores aut minus probatas consulto mutatas esse, quamquam etiam codex A paucas quasdam emendationes ex aliis admittit.

2) Plurimos horum hymnorum continet codex 17141, quem B nominavimus. Saeculo octavo adscribendus videtur, et quondam possidebatur a quodam Abraham filio Isaac filii Dînârae Tagritensis. In folio 41, ante quod duae quaterniones desiderantur, incipiunt excerpta ex hymnis Nisibenis in medio carmine 15; exhibent porro carmina 16—21; 34—51; 71—73, quae desinunt in fol. 60. Nonnulla autem folia abscissa sunt, ut in annotationibus criticis monstrabitur. Liceat mihi hic, grato animo insignem benevolentiam viri celeber-

---

[1]) Ita in hoc codice verba mediae Vau in Ethpeel unum tantum Thau habere solent (cf. 2, 9; 3, 14. 15; 10, 63; 5, 100; 6, 49; 15, 99; 27, 69; 35, 254; 44, 89. 97. 100; 45, 103; 46, 152. 185; 48, 14. 26; 54, 6; 76, 41) ceteris codicibus usitatam formam praebentibus. Cf. etiam in indice verborum ܐܬܓܝܕܐ, ܡܬܪܝܡ, ܐܬܬܘܣܦܘܬܐ, ܐܬܪܡܐ; ܡܬܚܝܪ, ܢܬܚܘܣ, ܠܝܬܚܣܐ, ܡܬܪܝܡܬܐ.

rimi Dr. Guilielmi Wright praedicare, qui mihi non solum lectiones variantes hujus codicis, sed etiam integra ejus carmina, quae in codice A non extant, accurate descripta misit; sunt autem haec carm. 17—21 et partes carm. 16 et 35.

3) Codex 14571 (apud nos C) varia continet scripta Ephraemi, inter quae extant ex hymnis Nisibenis cantica 35—39 in fol. 51—60, canticum 43 in fol. 74—77 et cantica 71—73 in fol. 70—74. Binas habet columnas et scriptus est secundum subscriptionem a. 830 aerae Apameensis, ergo a. Chr. 519.[1]) Quantum ex scriptura concludere licet, saeculo sexto scriptus videtur. Valde negligenter et mendose exaratus est hic codex; saepissime verba et sententias perperam mutat, et integras strophas omittit, quod quater tantum factum est in cod. B.

4) Cod. 17214 (D), qui inscribitur ܟܬܒܐ ܕܥܠ ܩ̈ܦܠܐܐ ܡܣܓܝ̈ܐܐ ܘܡܫܚܠ̈ܦܐ *liber de multis variisque capitulis*, continet etiam excerpta ex hymnis Nisibenis, sub hoc titulo ܕܩܕܝܫܐ ܡܪܝ ܐܦܪܝܡ ܡܢ ܡܟܬܒܢܘܬܐ ܕܢܨܝ̈ܒܢܝܐ ܥܠ ܩܠܐ ܕܒܝܐܘ ܒܡܘܠܟܢܐ *S. Domini Ephraem ex volumine Nisibenorum ad modum: consolamini vos promissionibus*, fol. 80—81, quae inveniuntur in hymnis 43—46, sed multis strophis ejectis. Hoc manuscriptum ad vetustiora pertinere videtur.

5) Cod. 17191 (E), collectaneus et serioris aetatis, inde a pagina 61 exhibet excerpta e hymnis Nisibenis, et quidem primum sub titulo ܬܘܒ ܕܡܪܝ ܐܦܪܝܡ *rursus Domini Ephraem* partes cantici 46, tum sub titulo ܕܝܠܗ *ejusdem* partes hymnorum 47 et 49, denique post eas fragmentum hymni 48, multis tamen strophis omissis.

6) Litera F designamus codicem 12176, qui multa Ephraemi

[1]) Apamea ab Antigono condita, a Seleuco Nicatore, qui ei etiam nomen ab uxore sua Apama tribuit, amplificata et munita est (Strabo 16, 2. 10). In nummis Apameensibus autem aera Seleucidarum adhibetur, cf. Rasche lexicon rei numariae I, I, 912; Norisius de epochis Syromacedonum in Opp. II, 82—90. Praeterea in Chronico Alexandrino expresse dicitur pag. 400, aeram Seleucidarum etiam Apameensem nominatam esse. Ergo non est dubium, quin nulla fuerit aera Apameensibus propria, sed eam nuncupatam esse pro vulgari Syromacedonum aera.

scripta continet, et inter ea, ut videtur, universam hymnorum Nisibenorum collectionem. Sed ex iis ultimum tantum superest folium, et ejus quoque pars dimidia inferior abscissa est. Codex trinis columnis distinctus ad saeculum quintum referendus videtur, quo magis dolendum est, quod temporum injuria nunc nonnisi fragmenta carminum 75—77 in eo supersint. In fine subscriptum est ܫܠܡܘ ܡܕܖ̈ܫܐ ܕܐܡܝܖܝܢ ܠܡܖܝ ܐܦܖܝܡ ܠܛܘܒܢܐ ܢܨܝܒܝܢܝܐ *Finiti sunt hymni, a beato Domino Ephraem Nisibeno compositi.*

7) Parvum denique fragmentum carminis 42 suppeditat cod. 17194 (G) collectaneus; legitur ibi pag. 24 b sub titulo ܩ̈ܦ ܕܠܒ ܕܡܚܘܐ ܕܫ̈ܐܕܐ ܒܝܕ ܒ̈ܥܠܝ ܙܟܘܪܘ ܣܠܩܘ ܠܘܬ ܫܐܘܠ. ܘܠܐ ܗܘܐ ܫܡܘܐܝܠ ܩܕܝܫܐ. ܘܕܐ ܠܘܬ ܡܫܟܚ ܣܛܢܐ ܕܢܥܘܠ ܠܒܪܢܫܐ ܐܠܐ ܡܢ ܦܘܩܕܢܐ ܐܠܗܝܐ ܕܡܪܝ ܐܦܪܝܡ ܡܢ ܦܢܩܝܬܐ ܢܨܝܒܝܢܝܬܐ.

Capitulum XXXII, quo demonstratur, daemones per pythones ad Saulum ascendisse, minime autem s. Samuelem, nec minus diabolum non posse intrare in hominem, nisi ex divino mandato; a Domino Ephraem ex volumine Nisibeno.

Praeterea ad criticam comparationem adhiberi debent 8) citatum in actis S. Ephraemi syriacis et 9) centones nonnulli ex hymnis Nisibenis compositi et Ephraemo falso adscripti. De his autem in sequenti capitulo plura dicenda sunt.

In textu edendo hanc rationem secuti sumus, ut codice A tamquam fundamento usi simus, ejusque lectionem semper retinuerimus, ubi aut variantum differentia ad solam orthographiam pertinet, aut dijudicari nullo modo potest, utra lectio melior sit. Ubi autem alia lectio melior et originaria apparet, ea semper in textu posita est, lectione codicis A in annotationes rejecta. Codices omnes vocalibus carent, quae a nobis additae sunt, eo praesertim consilio, ut regula emetricae, infra expositae, inde magis perspicuae fiant. In punctis apponendis codices secuti sumus; quos si errasse putavimus, per vocales indicavimus. Numeri paginarum codicum A et B in margine significati sunt, quia inde nonnunquam lacunarum spatium metiri potuimus.

II. Vetera testimonia.

Veterum de hac hymnorum collectione testimonia non ideo affero, ut ejus authentiam demonstrem; nemo enim, qui vel levissimam scriptorum Ephraemi notitiam habet, de ea dubitationem movere potest. Nolo igitur chartam vastare, ex phrasium et argumentorum similitudine probans, hos hymnos Ephraemianos esse, praesertim cum nemo illud necessarium habiturus sit. Nonnulla tamen hujus rei exempla in annotationibus commemorabimus. Sed aliis de causis non nihil interest haec testimonia proferre. Videntur quidem hi hymni mox oblivioni dati esse, quia nec Ebedjesu Sobensis ullam eorum in catalogo suo mentionem facit; sed auctor anonymus vitae S. Ephraemi, quam editio romana exhibet in tomo III operum Ephraemi syriacorum, et commemorat eos, et quaedam ex iis laudat. Ita enim legitur ibidem pag. LV: *Hoc autem tempore composuit carmina de Nisibi et de S. Jacobo et de Constantino rege, et de poenis et castigationibus suo tempore per iram divinam immissis, et de captivatione oppidorum, et habitationum* (Assemanus minus recte, ut mihi videtur, vertit *monasteriorum)*, *quae Nisibim circumdant; et composuit carmina de S. Semonitha ejusque filiis, et de Samona et Guria et Habibo, qui Edessae martyrium passi sunt.* Omnia carmina, quae ibi commemorantur, ad nostram collectionem pertinere facile demonstrari potest. Praemittit scriptor hymnos de Nisibi, quibus vel totam collectionem vel priorem ejus partem designat. Hymni de S. Jacobo, episcopo Nisibeno, habentur in carminibus 13—14. Rarior quidem Constantini mentio fit, sed in carmine 21 hic imperator cum S. Jacobo expresse comparatur. Quae tunc subduntur de ira divina et castigationibus, nec non de oppidorum vicinorum expugnatione, ad universam partem priorem hujus collectionis spectant. Semonitha ejusque filii Machabaici commemorantur in cant. 57. 71. 72, sancti autem martyres Samona, Gurias, Habibus in carm. 33. Quae cum fortuita esse non possint, apparet, totum hunc locum de solis carminibus Nisibenis agere. Insuper in eadem

Vita (pag. L) laudantur strophae secunda et tertia carminis 51, sed, ut videtur, ex memoria, ideoque valde perverse et ratione strophica omnino destructa.

Hic etiam notandum est, sex e necrosimis Ephraemo adscriptis centones esse ex hymnis Nisibenis consarcinatos. 1) Canon necrosimus 32 (ed. rom. III 289) ex his partibus hymnorum Nisibenorum compilatus est: carm. X, v. 97—101; LXXV, v. 42—46; LXXVI, 47—51. 2) Canon 34 (p. 292) ex his versibus compositus est: LXXV, 67—71; LXXVI, 37—46. 3) Ad canonem 35 (p. 292) confer LXXV, 52—61. 72—76; LXXVI, 112—116; LXXV, 7—11. 22—31. 37—41. 62—66. 4) Ad can. 37 (p. 294) cf. LXXV, 17—21. 5) Ad can. 58 (p. 325) cf. LII, 1—4. 9—12; LIII, 1—4; LXVIII, 1—4; LII, 13—28. 6) Ad can. denique 62 (p. 327) cf. LXXIV, 1—5. 7—21. 24—26; LXXVII, 7—16. 7) Initium quoque canonis 3 (p. 228) desumtum est ex hymno Nisibeno LXXVI, v. 82—86, ideoque postea praefixum videtur. Sex autem necrosima priora S. Ephraemo prorsus abjudicanda esse apparet, cum a compilatore seriori ex ejus hymnis composita sint. Tale quid in necrosimis facilius accidere poterat, quippe quae usui liturgico inserviebant. Idem etiam valet de canone necrosimo 65 (p. 332), qui totus e canone 18 excerptus est (cf. p. 264 a — 265 a).

III. De hymnorum titulo, argumento, aetate.

In titulo hujus collectionis discrepantia quaedam invenitur. Subscriptio codicis F antiquissimi non ad illam, sed ad universa opera Ephraemi pertinet. Cod. A ponit in initio *volumen hymnorum Nisibis*, in fine autem *finitum est volumen hymnorum Nisibenorum*; similiter etiam singulis paginis saepe superscriptum est ܡܕܖ̈ܫܐ ܕܢܨܝܒܢ̈ܝܐ *hymni Nisibenorum.* Cod. D quoque praebet ܦܢܩܝܬܐ ܕܢܨܝܒܢ̈ܝܐ, G autem rursus ܦܢܩܝܬܐ ܕܢܨܝܒܝܢ. Rectior titulus videtur esse ܕܢܨܝܒܝܢ, tum quia etiam Acta S. Ephraemi syriaca

eum tuentur, tum quia urbs Nisibis in his carminibus saepe loquens introducitur. Praeterea ipse auctor in carmine 3 ait: *Audi haec, o Nisibis, propter te enim haec scripta et dicta sunt!* Advertendum tamen est, hanc denominationem a potiori factam esse; cum carmina 25—77 nihil omnino contineant, quod ad res Nisibenas spectet, et post traditionem Nisibis scripta esse appareant.

Non dubitandum est, quin ipse S. Ephraem carmina, quae diversis temporibus concinnavit, hac collectione comprehenderit cum jam antiquissimi codices ea hoc modo conjuncta praebeant. In quatuor partes dividi potest liber: 1) carm. 1—21 res Nisibenas ordine chronologico prosequuntur, 2) 25—30 (carminum enim 22—24 nullum superest vestigium) de Edessa, 3) 31—34 de Carrhis agunt, 4) 35—77 res dogmaticas, praecipue eschatologicas tractant.

Pars prima de varia urbis Nisibis et regionum vicinarum in bellis, quae Sapores II contra Romanos movit, fortuna agit, simulque episcopos Nisibenos eorumque in urbem merita praedicat. Antiquissimum est carmen primum, quod durante tertia urbis obsessione, quae a. 350 accidit, concinnatum est. Secundum et tertium continuo post liberatam urbem, eodem ergo anno, scripta sunt, ut auxilio divino grates agerent. Carmina 4—12 omnia ad annum 359 pertinent, quo Sapores iterum Mesopotamiam invasit, ut apparet e notitia chronologica 7, 2, secundum quam urbs jam per viginti annos malis belli premebatur. Carmen quartum scriptum est in ipso initio belli, Persarum exercitu appropinquante et multis incolis prae metu hostium fugientibus. Carm. quintum paulo post concinnatum est, cum ipsi Romani Mesopotamiam devastassent, ne Persarum exercitus pabulum inveniret (cf. Amm. Marcell. 18, 7). Sextum, mense Majo scriptum, eandem calamitatem deplorat Deumque orat, ne urbem hostibus tradat, ideoque tum scriptum videtur, quum Persae ante urbem erant. Septimum quoque carmen et nonum (octavum enim desideratur) eidem fere tempori adscribenda sunt, et praecipue peccata et idololatriam Nisibenorum tanquam causam divinae castigationis accusant. Decimum de expugnatione urbis Anzit

agit, quam Ammianus commemorat 19, 6, ideoque ad autumnum ineuntem referendum videtur. Carmen undecimum utilitatem castigationis praedicat et idololatriam incolarum deplorat, duodecimum autem divino salvatori grates agit.

Carmina 13—21 laudes episcoporum Nisibis canunt. Carm. 13—14 comparant inter se S. Jacobum, Babu, Vologesemque, et anno 358 scripta sunt. Dicit enim poeta, sub Vologese pacem et tranquillitatem Nisibenis advenisse, ergo ante annum 359 scripsit; sed item affirmat, sub hoc episcopo Persas et Romanos per legatos de pace tractasse, quod a. 358 accidit (Ammian. 17, 5). Carmina 15—16 autem sequenti anno 359 tribuenda sunt, quia conqueruntur, hanc felicem tranquillitatem ob delicta populi rursus cessavisse; quintumdecimum solum Vologesem praedicat, sextumdecimum rursus tres illos episcopos comparat et demonstrat, quam bene Deus per eos diversis populi necessitatibus consuluerit, populum autem per peccata sua iram divinam in se concitasse. Accuratissime definiri potest tempus carminum 17—21, in laudem et admonitionem Abrahami, Vologesis discipuli et successoris, dictorum. Poeta enim jam novit, Julianum Apostatam interfectum, et Jovianum novum imperatorem proxime suffectum esse, nondum vero ab eo pacem cum Persis initam et Nisibin concessam esse; scripsit ergo haec aestate anni 363.

Diu haesi in carminibus 26—30, quibus poeta conqueritur, per haeresem schisma in ecclesia ortum esse, Deumque orat, ut errantes, dissidiis sublatis, ad unitatem et veram fidem reducantur. Addit etiam, hoc schisma jam per sex annos durasse (27, 5; 28, 7), et haereticos eo furoris progressos esse, ut sanctissimum urbis episcopum castitatem violasse mentirentur. Haec nullo modo ad Nisibin pertinere possunt; episcopus enim ille non potest esse S. Jacobus, nec Babu, nec Vologeses, quia S. Ephraem, dum de eorum regimine loquitur, nunquam talium calumniarum mentionem facit; sed nec Abraham innui potest, quia is juvenis erat (18, 3. 5; 19, 2), cum episcopus ille tamquam senex decrepitus describatur (29, 6. 7. 8), et quia jam a. 363 Nisibis ab omnibus incolis derelicta est, ergo schisma sex annorum sub Abrahamo esse non potuit.

Itaque jam per se valde verisimile videtur, S. Ephraemum de Edessa loqui, quo se post traditionem Nisibis contulit; haec autem jam non erit hypothesis, sed certa veritas, si animadvertimus, in sequenti hymno 31 urbem Edessam in prima persona singularis loquentem introduci. Ecclesia ergo est Edessena, episcopus S. Barses (361—378), cujus persecutionem per Valentem imperatorem narrat Theodoretus, hist. eccl. 4, 16. Apparet tamen ex his hymnis, Barsen tum nondum exilio mulctatum esse. Optimum ergo nobis videtur, sex annos, per quos schisma illud duravit, inde ab a. 364 numerare, quo Valens, ecclesiae persecutor, regno potitus est. Antea enim, tempore Joviani, Arianis tanta audacia non fuisse videtur. Hi hymni igitur a. 370 scripti videntur, certe nullo modo ultra a. 373 protrahi possunt, quo S. Ephraem mortuus est,[1]) et quo Valens secundum Chronicon Edessenum et

1) Mirum est, hanc rem clarissimam adhuc multis tam dubiam videri. Ita ait Rödiger in Herzogii encyclopaedia theologica (s. v. Ephraem), hunc sanctum mortuum esse *secundum quosdam a. 373, secundum alios 375, probabiliter autem 378.* Quod de anno 375 dicit, omnino erroneum est; nititur enim loco Assemani B. O. I, 54, a viro doctissimo Roediger non recte intellecto. Res ita se habet: omnes Syri docent, S. Ephraemum a. 684 aer. gr. mortuum esse, id est 373 p. Chr. (ex nostra scilicet computatione, qua Christus a. 311 hujus aerae natus est). Dionysius Telmachrensis autem et Chronicon Edessenum aliam de Christi nativitate opinionem tenent, quam a. 309 aer. gr. contigisse credunt; ideoque Assemanus ait, mortem Ephraemi in annum Christi 375 secundum eorum computationem incidere. Sed annus Christi 375 secundum computationem Chronici Edesseni prorsus idem est ac annus 373 nostrae computationis. Ergo nemo unquam Ephraemum 375 mortuum esse contendit. — Ii, qui ejus mortem in annum 378 differunt, orationem graecam in laudem S. Basilii, Ephraemo adscriptam, proferunt, ut inde probent, Ephraemum Basilio superstitem fuisse. Sed haec oratio et Basilio adhuc vivo scripta esse potuit et fortasse non genuina est. Certe nunquam syriace exstitit, quippe quae graecos verborum lusus faciat ut Βασίλειος ἀληθῶς ἡ βάσις τῶν ἀρετῶν). — Contra omnes veteres scriptores S. Ephraemum anno 373 mense Junio mortuum esse affirmant, Vita scilicet ejus et brevior et prolixior, Chronicon Edessenum, Dionysius Patriarcha, liber Chalipharum, Syrus anonymus in B. O. I, 54. Idem innuere videtur Hieronymus, dicens, Ephraemum sub Valente vita decessisse, qui ipse a. 378 mortuus est. Ceterum, si mense Septembri a. 373, quo Valens catholicos Edessenos persecutus est, adhuc vixisset, certe historici, qui hanc persecutionem narraverunt, aliquam ejus mentionem fecissent. Cf. etiam Alsleben, das leben des heil. Ephraem.

Dionysium Edessenis episcopum Arianum obtrudit et ecclesiam S. Thomae orthodoxis ademit, sine dubio etiam S. Barsen in exilium misit.

Carmina 31—34 de Carrhis agunt, urbe idololatriae pertinaciter dedita, et quidem 31—33 de Vito, ejus episcopo, multisque tribulationibus, quas a paganis et haereticis perpessus est. Scripta sunt, postquam Ephraem Edessam se contulit, quia haec urbs loquens introducitur et s. reliquiae, ibi asservatae, commemorantur. Puto, ea paulo post scripta esse, quia Vitus novus pastor nominatur, scilicet sub initio regni Valentis. S. Barse enim a. 361 Edessam translato, pagani Haranitae sub regno Juliani nullum episcopum admisisse credibile est. Fortasse igitur sub Joviano tandem Vitus suffectus est, qui a. 381 consilio Constantinopolitano intererat. Tum, Valente mox subsequente, seditio clericorum Arianorum contra eum mota est. Tum autem schisma Edessae nondum ortum esse videtur, quia haec urbs in his hymnis summis laudibus effertur. Fortasse igitur hymni ad a. 364 referendi sunt. Idem dicendum est de carm. 34, quod insitam Haranitarum idololatriam deplorat, iisque consilium dat, ut Edessenis similes fiant.

De canticorum denique 35—77 aetate nihil habeo quod affirmem, nisi, ut e carm. 42 apparet, ea Edessae scripta esse, ergo inter annos 363 et 373. Carm. 35—42 praecipue querelas Mortis et Diaboli continent de detrimento, quod per Dominum Jesum Christum acceperunt, 43—51 resurrectionem corporis contra Marcionis, Bardesanis, Manetis haereses tuentur, 52—68 altercationes Mortis cum Diabolo et hominibus praecipue repraesentant, 69—77 denique rursus de resurrectione mortuorum agunt. Accuratior argumenti descriptio ad singulos hymnos pertinet.

Apparet ergo, hymnos 25—77, Nisibi jam derelicta et ab incolis deserta, scriptos esse, ideoque titulum ܡܕܖ̈ܫܐ ܕܢܨܝܒܝܢ proprie nonnisi ad hymn. 1—21 pertinere, qui de variis hujus urbis fatis agunt.

IV. De usu historico horum carminum.

Prima pars hujus collectionis de bellis Saporis II contra imperium Romanum agit, in quantum Nisibis et regiones finitimae per ea afficiebantur. Hoc modo res gestae nobis non solum per testem oculatum et aequalem quasi ad vivum repraesentantur, sed etiam multa et ignota afferuntur et dubia solvuntur. Videtur autem necessarium esse, ut breviter hujus belli historiam exponamus, eique, quae ex his hymnis disci possunt, subjungamus.

Pax, quam Persae inde ab a. 297 cum Romanis coluerant, primo interrupta est a. 337 per Saporem regem, qui quinque provincias ad Tigrin sitas reposcit, simulque incursionem hostilem in Mesopotamiam fecit. Constantino paulo post mortuo, anno sequenti sub Constantio, Nisibin primo obsedit Sapores, sed re infecta redire coactus est.[1]) Tum usque ad a. 350 continuum fere Romanis et Persis erat bellum, de quo ab historicis pauca tantum memoriae tradita sunt. Hoc tantum scimus, novem praecipuas pugnas accidisse, quorum maxima Singarensis erat (a. 348), sed omnes Romanis infaustas fuisse. Nisibis quoque a. 346 iterum, sed frustra obsessa est. Libanius et Julianus narrant, ante pugnam apud Singaram indutias initas esse, quas Persae violassent.

Hae quidem res gestae sunt, antequam S. Ephraem hymnos nostros scripsit; nonnunquam tamen, praecipue in hymnis 13—14, earum mentionem facit. Docemur inde, hoc tempus bellicosissimum fuisse et Constantium imperatorem saepius Nisibi commoratum esse, quod confirmatur Codice Theodosiano, cui inest lex, 12. Majo 345 Nisibi data. Ceterum ex hymnis 1. 2. 3. 6. 13 certe probari potest, Nisibin a. 346 iterum obsessam esse, quod

1) Barhebraeus in Chronico valde confuse has res tractat, cum primam obsessionem adhuc superstite Constantino, alteram immediate post mortem ejus accidisse narret. Liber quoque Chalipharum nimis obscure et perverse de his obsidionibus narrat.

hucusque nonnisi a Theophane et Chronico Hieronymi commemorabatur.

Prolixius nobis loquendum est de tertia urbis Nisibis obsessione a. 350, de qua scilicet tres priores hymni nostrae collectionis agunt. De hac obsessione egerunt Julianus (orat. I, p. 27 sqq.; II, p. 62 sqq.), Chronicon Alexandrinum (p. 674—676), Theodoretus (hist. eccl. 2, 30; vit. patr. 1); Philostorgius (3, 23), Theophanes, Zonaras, Cedrenus, Barhebraeus (Chronicon, p. 68), obiter eam commemoraverunt Libanius (orat. 12) et Zosimus (3, 8). Cum autem hi scriptores valde inter se dissentiant, necessarium videtur, antiquiorum et graviorum relationes, quam brevissime fieri potest, afferre.

Julianus in duabus orationibus suis, quae paucis tantum annis post scriptae sunt, haec fere tradit: Sapores urbem undique aggeribus circumvallavit et Mygdonium flumen ita immisit,[1]) ut locus intra muros et aggeres aquis impleretur. Tum machinae navibus impositae muris admovebantur; milites autem partim navibus murum ascendere studebant (aquae enim murum fere aequabant), partim ex aggeribus tela in defensores conjiciebant. Hi vero ignem, tela, lapides in hostes eorumque machinas conjiciebant, et naves partim cremabant, partim in altum evehebant, ita ut corpora, arma, navium tabulae undique aquis intra muros et aggeres supernatarent. Post multos autem dies aqua fortuito aggerem perrupit, simulque etiam muri pars centum cubitorum fluctuum impetu corruit. Tum Sapores urbem capere constituit, sed quia equites et elephanti, ab obsessis lapidibus obruti, terrâ uliginosâ inter aggeres et muros mergebantur, exercitum reduxit, donec solum exsiccatum esset. Interea jussit continuo tela in confractam muri partem dirigi, ne restauraretur. Cives autem Nisibeni post milites constituti, ita ut videri non possent, novum murum exstruxerunt, qui proximo tempore matutino jam altitu-

---

1) Ait Julianus, Mygdonium tum forte anniversariam suam inundationem fecisse, quod etsi fieri potuit, tamen ad rem perpetrandam nullo modo erat necessarium.

dinem 4 cubitorum habebat. Itaque Sapores, spe frustratus, post obsidionem quatuor fere mensium revertit, nonnullis satrapis antea interfectis, qui aut ignavi fuerant, aut aggeres non satis solide exstruxerant.

Cum Juliano plerumque convenit Chronicon Alexandrinum, quod a Theophane exscriptum est. Tamquam fontem suum laudat Vologesem episcopum Nisibenum, qui de hac re epistolam ediderit. Ait, Saporem, postquam diu urbem machinis frustra aggressus esset, tandem urbem per Mygdonium inundare constituisse. Tum vero pars muri corruit, unde multi hostes perierunt. Cum Sapores urbem capere vellet, omnes fere milites Nisibeni ad locum muri perruptum convenerunt, multosque hostes et elephantes interfecerunt, aliis in fossarum uligine immersis, ita ut Sapores omnino 10000 militum amitteret. Simul etiam imbre, procella, fulminibus territus est, maxime autem visu hominis in muro ambulantis, qui regio ornatu indutus erat. Itaque post obsessionem 100 dierum, machinis destructis abiit.

Longe alia nos docet Theodoretus in hist. eccl. et in vitis Patrum. Ait enim, Saporem cum ingenti exercitu multisque elephantis urbem per 70 dies obsedisse, et primo quidem eam tumulis muro oppositis cinxisse, qui e palis constructi et ramis terraque expleti erant; turres quoque contra turres erexit, quo facilius tela in urbem projici et muri capi possent; sed etiam inferius fodi murumque subverti jussit. Cum autem haec ei non ex voto cessissent, tandem alveum Mygdonii fluminis, per urbem fluentis, obstruxit, et ripas utrinque ad magnam altitudinem exaggeravit, ut per aquae impetum murus frangeretur. Id quod accidit; cum enim flumen in immensum auctum aggerem perrupisset, in duobus locis, ubi urbem ingreditur et egreditur, murum confregit. Sapores igitur sequenti die post minutas aquas urbem capere constituit, sed a proposito deterritus est, tum quia Nisibeni in nocte murum restauverant, tum ob visionem viri, quem primo imperatorem, deinde angelum putabat. Sequentia praetermitto, quia aperte erronea sunt. Theodoretum secuti sunt Zonaras, Cedrenus, Barhebraeus. Duo tamen de suo addidit Zonaras

Saporem scilicet ob incursionem Massagetarum obsessionem omisisse, et eum primum Mygdonium derivasse, ut urbi aquam adimeret. Prius non inverisimile est, posterius autem certe erroneum est, quia Mygdonius, ut mox videbimus, urbem non pertransiit.

Theodoreti narrationem, in quantum cum Juliano et Chronico Alexandrino non convenit, rejiciendam esse, jam a priori verisimile est, cum Julianus aequalis et homo in rebus bellicis versatus sit, Chronicon ad fontem aequalem et Nisibenam provocet, Theodoretus autem episcopus saeculi quinti sit. Porro Theodoretus multos apertos errores profert; confundit enim hanc obsessionem cum ea, quae a. 338 accidit, cum in vit. patr. dicat, Saporem, audita Constantini morte, bellum movisse. Illud quoque falsum est, quod Theodoretus (nec non Philostorgius) contendit, S. Jacobum tum episcopatum Nisibis tenuisse; illum enim paulo post primam obsessionem mortuum esse, infra demonstrabimus.

Sed ante omnia quaerendum est, quid nostra carmina, a quorum testimonio tota res pendet, de hac quaestione doceant. Conferenda sunt carm. 1—3; 4, 19; 11, 14—17; 12, 6—7; 13, 18. Dicitur autem 13, 18, Mygdonium extra urbem fluere, unde tota Theodoreti narratio necessario corruit. Nusquam legimus, Saporem de industria muri confractionem procurasse; contra Juliani narrationi favere videtur, quod 3, 19 dicitur, Saporem frustra per machinas murum frangere studuisse, tum autem ruinam accidisse, ne crederet, se post murum fractum urbem capturum esse. Studeamus ergo ex iis, quae S. Ephraem commemorat, descriptionem hujus obsessionis quaerere: Sapores totam urbem aggeribus circumvallavit, qui e palis, cratibus, terra exstructi erant, ut Theodoretus recte narrat, et e quibus tela in obsessos mittebantur (1, 3; 2, 9. 15; III 207 d [1])). Tum aquas Mygdonii sine dubio, per

---

1) Sermo 3 de Fide nonnunquam ad hanc obsessionem alludit. Commemorat hic tumulos terra exstructos. De iisdem loquitur Julianus, quando ait, Persas montem vicinum fere in urbem injecisse.

canalem in spatium intermedium inter muros et aggeres immisit, quae, quanquam magno impetu irruebant, murum non laeserunt (1, 1. 3. 4. 5. 8; 2, 9; 3, 7; 4, 19). Consilium ejus nullum aliud fuisse videtur, quam ut murus navium opera facilius capi posset. Cum ergo aqua tam alte ascendisset, ut murum fere aequaret, aquae affluxus impeditus est et pugnae illae navales acciderunt, quas Julianus commemorat. Sed repente fluctus aggerem perruperunt, et per impetum aquae erumpentis pars muri cum turri (ut ex his hymnis discimus) inopinato corruit, cf. 2, 1. 15. 18. 19; 3, 6; 11, 15. Tillemont (hist. des empereurs IV, 2, p. 1108) dubitat, num aqua satis vigoris habuerit, ut in exitu suo murum confringeret, ideoque Theodoretum mavult sequi. Sed haec confractio non impossibilis erit, si ponimus, illam muri partem cursui fluctuum velociter erumpentium ex adverso oppositam fuisse, vel potius, aquas etiam in urbem penetrasse (cf. 1, 5. 7; 4, 19) et fluctuum impetum ab intus murum fregisse. Multos hostes navibus vectos hoc modo periisse per se patet. Haec muri confractio Sabbatho accidit, ut discimus ex hymno 3, 6. Mox Sapores cum exercitu et elephantis urbem aggredi conatus est, sed eo modo, quem Julianus describit, ad regressum coactus est, cf. 2, 18. Ergo captio urbis in crastinam diem dominicam dilata est; cum autem mane videret Sapores, murum per noctem a Nisibenis restauratam esse, omnes conatus suos irritos fore putans eodem adhuc die obsidionem omisit (2, 17. 19; 3, 6; 11, 16—17). Julianus quidem contendit, Saporem etiam postea per tempus non parvum ante urbem remansisse et varios ad eam expugnandam conatus fecisse; sed major debet esse auctoritas Ephraemi, qui non solum 3, 6 illam diem dominicam diem liberationis urbis vocat, sed etiam 2, 17 expresse ait, hostes, postquam murum restauratum vidissent, tam celeriter domum profectos esse, ut ne vesperam quidem hujus diei exspectarent.

Causa discessus tam repentini videtur fuisse populorum finitimorum in regnum Persarum incursiones, quos Zonaras Massagetas, Ammianus autem Chionitas et Gelanos, in extremis Persiae limitibus constitutos, vocat. Usque ad a. 358, quo pacem et

societatem cum iis iniit, Sapores bellum contra hos barbaros exercuit (Amm. 14, 3; 15, 13; 16, 9; 17, 5), ideoque imperium Romanorum quiete fruebatur, nisi quod Persae interdum per furta potius et latrocinia, quam per pugnas, praedam quaerebant (Amm. 14, 3; 15, 13; 16, 9). De hoc tempore intelligendus est S. Ephraem, quando dicit, sub Vologese urbem pace et quiete fruitam esse.

Postquam autem Sapores bellum cum populis finitimis composuit eosque in societatem suam adscivit, pacis conditio ei nuntiata est, quam jam a. 356 Musonianus, praefectus praetorio, Tamsapori, duci Persarum tulerat. Rex autem summa arrogantia a. 358 per legationem et litteras Armeniam Mesopotamiamque poposcit. Constantius et ipse ei bis legatos cum muneribus et litteris misit, sed animum ejus flectere non potuit (Amm. 16, 9; 17, 5. 14). Hae legationes commemorantur in cant. 13, 5. 6.

Sequenti ergo anno 359 rursus bellum movit Sapores, quod Ammianus prolixius describit 18, 4—10; 19, 1—9. In nostra collectione hymni 4—12 de eo agunt; duos ergo habemus testes oculatos. Primum res gestas hujus anni ex Ammiano breviter afferemus. Simulac nuntiatum est, Persas, Anzaba flumine trajecto, appropinquare, Romani sine ulla mora agrestes cum pecoribus ad tutiora transire coegerunt et campos omnes incenderunt, ne pabulorum suppeteret copia, ita ut a Tigride usque ad Euphratem nihil viride cerneretur. Sapores ergo inde a Nisibi sub montis Masii pedibus per valles gramineas exercitum duxit. Cum autem Bebasen venisset, unde regio ad montem sita aridissima esse incipit, simulque audivisset, Euphratem nivibus tabefactis inflatum omniaque inundantem vado transiri non posse, itinere dextrorsum flexo, ultra Masium montem profectus est, ut et Euphratem angustiorem apud Barzalam facilius transiret et pabulum in regione non vastata inveniret. Cum per Horren et Mejacarire et Charcha venisset, duoque castella, Reman et Busan expugnasset, toto animo in Amidam obsidendam incubuit, quam tandem post 73 dies cepit. Antea jam complura castella, inter quae excellebat Ziata, a Persis expugnata, et incolae in captivitatem abducti sunt. Sed autumno jam praecipite ulterius progredi non ausus est Sapores,

sed reversus anno sequenti 360 rursus Tigride transmisso primum Singaram cepit, tum, Nisibi prudenter evitato, Bezabden expugnavit, postea vero muros reparavit urbemque praesidio Persico instruxit; Virtam autem frustra obsedit. Constantius postea Bezabden, quam Persae praecipuum ipsorum munimentum fecerant, omnibus copiis recuperare studuit, sed re infecta discedere coactus est. Cf. Amm. 20, 6. 7. 11.

Hymni 4—12 omnes ad a. 359 pertinent, nonnullaque ex iis ad illustrandum aut supplendum Ammianum desumi possunt. Ac primum quidem chronologia hujus anni ex iis melius quam ex Ammiano apparet. Ammianus tradit, agros vastatos esse, *cum jam stipula flavente turgerent*, ergo mense Aprili aut Majo (cf. Shaw, travels pag. 335), porro Saporem tempore inundationis Euphratis Bebase fuisse, ergo Julio aut Augusto (cf. Plinius hist. nat. 5, 21), tandem eum Busan profectum tertio die Amidam venisse et 73 dies in obsidenda Amida consumpsisse, hancque obsessionem in autumno finitam esse *autumno praecipite haedorumque improbo sidere exorto*. Ex Ephraemo autem discimus mense Aprili adventum Saporis nuntiatum esse, eodemque mense agros devastatos esse (7, 3). Accuratius tempus indicat 6, 24, ubi ait, hanc devastationem tempore decrescentis lunae accidisse, ergo in priori dimidio Aprilis. Cum autem S. Ephraem, Ammiano consentiens, dicat, messem tum proxime institisse (5, 2. 22; 6, 10. 12; 7, 3) finem hujus periodi, ergo medium Aprilem, eligere praestabit. Carmen denique sextum, quod Sapore prope Nisibin commorante scriptum videtur (str. 1. 5—9. 22) circa 13. Maji consarcinatum esse apparet e str. 30. — Itaque ordo chronologicus nobis ita disponendus videtur: Ineunte Aprili Sapores in bellum profectus est, sub mediam mensem Anzabam transjecit et Mesopotamia a Romanis vastata est. Medio Majo Nisibin venit, ineunte Julio, postquam, teste Ammiano, diu cunctatus Bebase remansit, Bebase profectus Amidam petivit, quod inde a fine Julii usque ad initium Octobris obsidebat. Nec obstat, quod tardius videtur iter Bebasen usque, quia, tota provincia vastata, sub montium pedibus ingens exercitus proficisci coactus erat.

Haec praeterea notatu digna videntur, quod S. Ephraem vastationem Mesopotamiae per Romanos tamquam consilium inutile, crudele et magis propter praedam faciendam initum vituperat, et quod tradit, eos non solum segetes et vineas vastasse, sed etiam arbores abscidisse et greges abduxisse (5, 23—25; 6, 18—21). Quod Ammianus narrat, agricolas coactos esse, ut ad tutiora transirent, sine dubio de oppidis munitis intelligendum est, ut apparet ex XIX, 2, 14; 6, 1. Nihilominus tamen Nisibin non refugisse videntur, quia omnes putabant, Saporem, sicut antea, nihil antiquius habiturum esse, quam hanc urbem obsidere. S. Ephraem certe nos docet, Nisibin ab ipsis civibus suis desertam esse, qui ob metum aufugerint, ita ut decima tantum pars incolarum ejus relicta sit (4, 23; 6, 27—29. 33).

Valde difficilis est quaestio, num Nisibis a. 359 a Persis obsessa sit. Zonaras affirmat, eum frustra hujus urbis expugnationem tentasse, sed mox ab incepto abstitisse. Apud Ammianum duplex est lectio, aliis legentibus *Nisibi prostratione vili transmissa*, aliis *pro statione.* Prior lectio in recentiores editiones assumpta est, sed nobis posterior multo melior videtur. Eandem enim prae se fert ironiam, ac similis locus XX, 7, 1 *rex Nisibin prudenti consilio vitans.* Praeterea vix credendum est, Ammianum, qui vel levissimos hujus belli casus tam minute describit, obsessionem Nisibis duobus tantum verbis, iisque perobscuris, commemorasse. Nostri certe hymni nihil de Nisibi obsessa tradunt, sed tantum orant, ne hostes ad urbem adveniant eamque capiant (6, 1. 5—9. 22). Quando autem in iis exemplum divini auxilii affertur, tum semper obsessio a. 350 commemoratur (11, 14—17; 12, 6—7), quod mihi firmissimum argumentum videtur, urbem a. 359 non obsessam esse.

E carmine tandem decimo apparet, Ziatam castellum, quod, obsessione Amidae ad finem vergente, a Persis expugnatum est, (Amm. 19, 6) Anzitam esse, ut in annotationibus demonstravimus. St. Martin quidem (ad Lebeau, histoire du Bas-Empire II, 298) putat Ziatam esse Zaidam (syriace ܚܣܢ ܙܝܕ, armeniace Kharpert) in Sophene, sed literae non conveniunt.

Postea anni 361 et 362 quieti erant. Anno autem 363 Julianus Apostata Persis bellum intulit, quo interfectus est. Successor ejus Jovianus Persis pace ignobili, sed necessaria quinque provincias ad Tigrim sitas cessit, una cum urbe Nisibi, cujus incolae omnes patriam relinquere et Amidam emigrare coacti sunt. S. quoque Ephraem primo (ut ex Actis ejus syriacis scimus) Amidam, mox autem Edessam se contulit. Anno 363, sed ante deditionem Nisibis, scripta sunt carm. 17—21, quorum ultimum nonnullas res historicas tangit.

V. De usu in ecclesiastica historia et archaeologica.

Omnia singula, quae in his carminibus ad res ecclesiasticas illustrandas pertinent, hic enumerare, non e re erit, cum ea in indice rerum, quem in fine posuimus, inveniri possint. Nonnulla tamen majoris momenti paucis commemorabimus. Multa ex iis nova discimus de episcopatibus urbium Nisibis, Haran, Edessae[1]).

---

1) Liceat hac occasione quaedam de antiquitate episcopatus in ecclesia syriaca afferre. Wichelhaus enim (de novi testamenti versione peschito, p. 89. 331) et nonnulli alii theologi protestantes contenderunt, peschittham novi test. versionem nullum inter episcopos et presbyteros discrimen agnoscere. Sed contrarium evidenter evinci potest. Vocem ἐπίσκοπος Peschittha vertit per ܐܦܝܣܩܘܦܐ Act. 20, 28, per ܩܫܝܫܐ (presbyter) autem Philipp. 1, 1; 1 Tim. 3, 1. 2; Tit. 1, 7. Vidit enim interpres, episcopos his tribus locis commemoratos revera esse presbyteros, et quia suo tempore non jam licebat, nomen episcopi sensu latiori presbyteris tribuere, in versione sua etiam titulum mutavit. Clarissime apparet causa mutationis in loco Phil. 1, 1, ubi Paulus *episcopos* et diaconos ecclesiae Philippensis salutat, nec minus Tit. 1, 7, quia in versu antecedente iidem nominatur presbyteri. Etiam 1 Tim. 3, 1. 2 nomen mutavit, quia Timotheum, utpote Ephesi episcopum, nonnisi in presbyteros jurisdictionem exercere putabat, et quia immediate postea diaconorum mentio fit. E contra autem Act. 20, 28 ܐܦܝ̈ܣܩܘܦܐ vertit, quia clericos a S. Paulo Miletum convocatos veros putabat esse episcopos Ephesi et vicinorum oppidorum, in qua sententia prorsus cum S. Irenaeo convenit, qui adv. haer. 3, 14 ait: *in Mileto convocatis episcopis et*

Quod ad Nisibin attinet, quatuor ejus episcopi sibi invicem succedentes commemorantur, Jacobus, Babu, Vologeses, Abraham. De tempore mortis S. Jacobi scriptores non inter se conveniunt, cum Chronicon Edessenum et Dionysius Telmachrensis eum a. 338 defunctum esse statuant, Theodoretus autem, Philostorgius, aliique recentiores, eum adhuc a. 350 in obsidione Nisibis superstitem fuisse affirment. E nostris hymnis certo demonstrari potest, eum a. 338 mortuum esse. Nam non solum commemoratur, secundam obsessionem a. 346 sub Babu accidisse (13, 2. 17) et sub eodem bellum Persicum gestum esse (13, 4—9. 14—15), sed etiam expresse dicitur, sub Jacobo pacem fuisse et nonnisi una cum ipsius fine finitam esse (13, 15). Ergo Jacobus post a. 338 vixisse non potest. Si verba hujus strophae sensu stricto accipimus, initium quoque episcopatus ejus ad tempus pacis cum Persis ictae (a. 297) referre debemus. — Haec certa de morte Jacobi definitio eo quoque nomine valde commendatur, quod pro certo probat, hunc sanctum infami illi Arianorum synodo Antiochenae a. 341 minime adfuisse. Ille quidem Jacobus, qui canonibus Antiochenis subscriptus invenitur, Nisibenus esse videtur, sed Cl. Ballerini jam probaverunt, hos canones ad a. 332, non 341 pertinere (cf. Opp. Leonis Magni III, pag. XXV—XXX). — Praeterea de S. Jacobo memoriae tradit Ephraem, eum severioris et austeri ingenii fuisse, magnoque rigore populum rexisse. Corpus ejus tamquam palladium urbis Nisibi asservatum est (13, 18—21).

Successit eum Babu, sicut tradunt Elmakinus et Abulpharagius (qui eum بابويه Babuja nominant), quos propterea immerito reprehendit Assemanus (Bibl. Or. I, 18; III P. II pag. 768), cum ipse, Chronicon Edessenum et Dionysium secutus, Vologesen im-

---

presbyteris. Eosdem quidem v. 17 secundum textum graecum ܡܫܡ̈ܫܢܐ vertit, sed ideo, quia suo tempore, quanquam presbyteris nomen episcopi dari non jam poterat, tamen episcopi adhuc presbyteri nominabantur, ut ex Irenaei et Hippolyti scriptis apparet. Ergo tempore versionis Peschitthae titulus episcopi apud Syros nunquam sensu latiori de presbyteris, sed de solo ecclesiae praesule adhiberi potuit. Cf. etiam, quae de hac re scripsimus in Zarnekii ephemeridibus litter. centralblatt 1864, n. 9, p. 195.

mediate post Jacobum episcopatum Nisibis tenuisse credat. Nomen Babu invenitur 17, 11; 19, 16. Ejus tempore continuum flagrabat bellum inter Romanos et Persas, Constantius Nisibin venit (a. 345), et urbs altera vice obsessa est (346). Mortuus ergo est intra annos 346 et 350, sed mihi praestare videtur, mortem ejus in a. 349 differre, quia Vologesis tempus tamquam pacificum et tranquillum laudatur. De Babu praesertim hoc narrat S. Ephraem, quod multam operam et pecuniam in captivis redimendis insumpsit (14, 4. 23; 19, 16).

Ejus successor Vologeses (syriace Valagesh, seu secundum nostros hymnos Valgesh) usque ad a. 361 teste Chronico Edesseno episcopatum tenuit. Dionysius quidem eum tempore deditionis Nisibis a. 363 adhuc superstitem füisse affirmat, sed hymni nostri eum erroris convincunt. Vologesis saepissime mentionem faciunt hymni 13—21. Sub éo tertia obsessio accidit a. 350; postea autem, usque ad a. 359, quies regnabat. Laudatur praecipue eloquentia ejus, propter quam ei adhuc juveni concionandi munus injunctum erat (15, 7; cf. 14, 2—4. 15—16; 15, 8; 17, 11; 18, 2), nec minus summa moderatio et lenitas. Nihilominus nonnulli clerici ei restiterunt et pacem ecclesiae turbaverunt, qua de re in hymnis ad a. 359 pertinentibus conqueritur S. Ephraem (cf. 7, 9—13; 15, 1—2. 18—20). Hos clericos haeresem, sine dubio Arianam, propugnasse, praesertim e carmine septimo mihi apparere videtur.

Successorem Vologesis, hucusque prorsus ignotum, ex hymnis 17—21 discimus nomen habuisse Abraham. Discipulus erat Vologesis, et junioris adhuc, cum eligeretur, aetatis (18, 3. 5; 19, 2); strenue tamen et fortiter Juliano, qui etiam Nisibi idololatriam promovere studebat, restitit (18, 5—8; 21, 14—17). Cum post pacem Joviani a. 363 omnes incolae Nisibis urbem relinquere et Amidam proficisci coacti essent, probabile mihi videtur, episcopatum Nisibenum per aliquod tempus omnino cessasse. Proximus certe, qui commemoratur, episcopus Nisibenus Hosee est, quem Dionysius Telmachrensis interfuisse scribit synodo a. 420 a Jaballaha, Seleuciae archiepiscopo, convocatae.

Carmina 26—30 (quibus jungendum videtur carm. 25 deperditum) de schismate ecclesiae Edessenae sub Valente agunt, ut antea demonstravimus. Episcopatum Edessae tunc tenuit S. Barses, quem Theodoretus eccl. hist. 4, 14 summis laudibus celebrat. Habemus etiam duas S. Basilii ad eundem epistolas, a. 377, cum Barses in exilio versaretur, scriptas (cf. Epp. Basil. 264 et 267). Socrates, Sozomenus, Theodoretus, Rufinus narrant persecutionem a Valente contra catholicos Edessenos motam, postquam Barsen in exilium misit, novumque episcopum Arianum populo obtrudere conatus est. Chronicon Edessenum et Dionysius docent, hanc persecutionem a. 373, mense Septembri accidisse. Eodem ergo anno etiam Barses in exilium missus videtur, cum Theodoretus utramque rem conjungat. Quo tempore hymni nostri scripti sunt, jam per sex annos schisma ecclesiam Edessenam dividebat (cf. 27, 5; 28, 7), cujus causa haeresis Ariana erat (28, 5—6; 29, 3—4. 34; 30, 21—22). Hoc ergo schisma a. 364, quo Valens imperare coepit, initium sumpsisse videtur, ita ut hymni a. 370 scripti sint. Certe nunquam in iis de exilio S. Barsae sermo est, sed nonnisi de inimicitia, qua haeretici eum insectabantur. Praecipue eum impudicitiae accusare audebant, quam calumniam S. Ephraem non minus absurdam, ac detestandam esse demonstrat (29, 6—10). Ex stropha 28, 4 concludendum videtur, schisma jam antea, fortasse sub regno Constantii, exortum, sed rursus suppressum esse. Revera quidem e Juliani epist. 43 apparet, sub initium a. 362 Edessae separatam Arianorum ecclesiam valde opulentam exstitisse, quae autem a Juliano ob vim Valentinianis illatam cunctarum opum suarum confiscatione mulctata est. Fortasse ergo hi Ariani posteriori Juliani tempore aut sub Joviano ecclesiae catholicae reconciliati sunt. — Alias tamen (29, 11—21) priorem ecclesiae Edessenae conditionem magnopere laudat S. Ephraem.

Carmina 31—34 de rebus Carrhensibus agunt. De idololatria veterum Aramaeorum, a Carrhensibus pertinaciter retenta, hic agere supervacaneum censeo, cum hoc uberrime a Cl. Chwolsohn praestitum sit (die Ssabier und der Ssabismus I, p. 301 seqq.); itaque de solis rebus eorum ecclesiasticis mihi dicendum erit.

Barses, antequam episcopatum Edessenum a. 361 suscepit, Carrharum episcopus erat, sicut tradit Chronicon Edessenum, quod confirmatur per carm. 33, str. 8. Eum secutus est Vitus, qui in his carminibus commemoratur et secundum 33, 8 Edessa oriundus erat. S. Ephraem valde commendat ejus sanctitatem et asceticum studium (31, 1—2. 37), eumque multos labores et aerumnas sustinuisse narrat, tum per paganos Haranitas (31, 3. 27—29; 33, 5—6), tum per clericos ipsius, qui eum impugnabant, sine dubio quia Arianae haeresi favebant (31, 30—32). Cum Vitus 31, 30 novus pastor nominetur et schisma Edessenum nondum exortum esse videatur, quia haec urbs summis laudibus effertur (34, 3—4), verisimile videtur, hos hymnos a. 364 scriptos esse, cf. supra. Vito successit post a. 381, quo Vitus concilio Constantinopolitano interat S. Protogenes, clericus Edessenus, quem Valens in exilium miserat (cf. Theodoret. 5, 4; Sozomen. 6, 33).

His nonnulla subjiciemus, quae ad archaeologiam sacram illustrandam pertinent. Ita secundum carm. 6, str. 30—32 in ecclesia Nisibena celebrabatur festum commune omnium martyrum, quod immobile erat, quia a. 359 fortuito hoc festum cum die ascensionis dominicae coincidebat. Cum ergo a. 359 dies paschatis in 4. aprilem[1]) incideret, hoc martyrum festum diei 13. Maji tribuendum est. Hoc quidem unicum est testimonium pro immobili martyrum festo in Oriente (in Occidente enim post saec. VII festum omnium martyrum et sanctorum Cal. Novembr. celebratum est), sed ecclesia graeca saeculo IV memoriam martyrum communem in dominica post pentecosten coluit (cf. Chrysost. II, 711), Syri Nestoriani autem in feria sexta post Pascha (cf. Bibl. Or. I, p. 3; III, II, p. 382). Tamen post hoc luculentissimum testimonium dubitari nequit, quin antea apud Syros immobile festum in 13. Maji martyribus destinatum sit.

De aliis in annotationibus egi, ut de martyrio Thomae apostoli

---

1) Cf. epistolas festivales S. Athanasii (Cureton, the festival letters of Athanasius, p. LVIII), ubi notandum est, has epistolas syriacas Pridie Non. etc. exprimere per I Non., non, ut exspectandum esset, per II Non.

apud Indos ejusque reliquiis (carm. 42, str. 1—2), de crucifixione Petri inversa (59, 2—3), de chrismatione ordinandorum (17, 2; 19, 2) etc.

VI. De usu in historia dogmatum.

Ea, quae ad res dogmaticas spectant, suis locis melius expendentur. De duobus tamen hic prolixius agendum est, ac primum quidem de opinione S. Ephraemi circa res novissimas, de quibus fere dimidia horum hymnorum pars disputat. Apparebit ex iis, quae proferemus, S. Ephraemum hac in re cum ecclesia omnino convenire, et neotericos Orientales, qui per spiritum rebellionis et superbiae hoc dogma perverterunt, a sanctis ipsorum majoribus refelli. Quod primum ad statum animarum inter mortem et resurrectionem attinet, aliquis, re parum accurate inspecta, suspicari possit, Ephraemum docere, piorum animas nonnisi post resurrectionem coelestem beatitudinem adepturas esse, antea autem una cum corpore quasi somno oppressos esse. Ita ed. rom. III 225 b hoc tempus intermedium somnum vocat, III 270 a justos in die resurrectionis aeternam beatitudinem hereditare ait, III 572 e Moysen et Adamum per resurrectionem in paradisum venturos esse docet. Tandem in hymno Nisibeno 73, 4 ait, omnibus unam viam esse usque ad resurrectionem, tum autem duas propositas esse, alteram ad Eden et alteram ad ignem. — Haec autem testimonia nihil probant; quid enim sub somno intellexerit, ipse explicat III 258, ubi ait, pie defunctos non mortuos esse, sed dormire, quia vivi et rationales sint. Alia autem ex sequentibus plenam suam solutionem accipient. Ante omnia enim nobis quaerendus est locus, ubi s. doctor ex professo suam de animae corporis expertis statu sententiam profert. Hic est hymnus 8 de paradiso, ed. rom. III 586—588. In hoc hymno poeta primo latronis meminit, cui Dominus paradisum promisit, magnoque inde gaudio afficitur. Tum vero dubitatio ei exoritur, num revera

anima a corpore soluta in paradisum intrare possit, et hoc fieri posse negat, quia nihil manci aut imperfecti ad paradisum pervenire possit. Mox autem subjungit, Christum in suo ad inferos descensu Adamum cum ceteris justis ex hade liberasse et *in paradisum adduxisse, in amoenas scilicet mansiones ad ejus sepem sitas*, ubi animae eorum habitant et corpora sua exspectant (ܘܐܥܠܗ ܠܦܪܕܝܣܐ. ܒܡܘܬܒܐ ܒܣܝܡܐ. ܕܣܝܓܐ ܕܦܪܕܝܣܐ. ܕܦܪܕܝܣܘܬܗܘܢ ܠܦܓ̈ܪܝܗܘܢ، ܡܣܟܝܢ. ܕܢ̈ܦܫܬܐ ܘܪ̈ܘܚܐ. ܘܡܥܡܪܝܢ ܠܗܝ. ܠܡܕܝܪܐ ܕܣܝܓܗܘܢ.،)
Hic asserit S. Ephraem, justos ante resurrectionem extra paradisum et in paradiso esse, quam apparentem contradictionem ita solvit, ut eos in pulchra regione ad sepem paradisi sita habitare dicat. Ephraem enim paradisum in tres regiones dividit (cf. III 567 f. 568 a. 572 f. 573 a et Uhlemann in Illgenii zeitschr. für histor. theologie I, 156), ultimam humillimam, quam nominat marginem ܫܘܦܐ aut sepem ܣܝܓܐ, mediam, et summam seu altitudinem. Nihil ergo aliud vult, quam animas corpore solutas nondum ad summam beatitudinem in editissima paradisi parte perfruendam accedere posse, sed in inferiori ejus parte, quam sepem nominat, usque ad resurrectionem manere.[1]) Sed secundum Ephraemum et haec inferior paradisi pars seu sepes regio est tam beata, ut vel vilissimus ejus thesaurus omnibus mundi thesauris pretiosior sit. In nullo igitur S. Ephraem a doctrina catholica deviat, secundum quam et ipsam beatitudo sanctorum per recuperationem corporis magnopere augebitur.

Hanc esse mentem S. Ephraemi, neque eum animas a paradiso, sed tantum ab altissima ejus et beatissima regione excludere, testantur etiam alii multi loci, quibus animas sanctorum statim post mortem, visione Dei beatifica frui et paradisum habitare docet. Cf. III 225 d: *animae justorum vivae et rationales in Eden servantur a creatore, corpora autem asservantur in terra, tamquam depositum restituendum.* III 234 f — 235 a: Anima defuncti

1) Tamen etiam post resurrectionem ii, qui in pietate et virtutibus non satis strenui fuerunt, in hac inferiori regione remanent, itaque etiam Ephraem ipse pro humilitate sua hanc sibi solam exoptat.

in coelo excipitur et tamquam unio in coronam Christi inseritur. 239 f: Deus defunctum per mortem ad lucem adduxit, ubi ab angelis et sanctis, qui praeiverunt, exspectatur. 255 c: Mortuus a Domino abductus et jam in regnum coelorum adductus est. 273 c: Defunctus jam nunc apud Deum et sanctos ejus commoratur. 275 c. f: Angeli animam demortui abstulerunt et in regnum coelorum Eden portaverunt, ubi Abraham ei obviam it portamque paradisi aperit. 291 f: Anima defunctae ab angelis in paradisum, in mansionem luminis, ad justos defertur. 293 d: Puerum mortuum deflere non vult, quia Christus eum in domum lucis abduxit. 300 b—d: Pueri ante resurrectionem in Eden servantur. 325 e—326 a: Post mortem corpus quidem in terra manet, anima autem in paradisum aut in gehennam abit. 336 f: Animae omnium sanctorum exspectant corpora sua in horreo vitae (ܐܘܨܪ ܚܝ̈ܐ). 357 d: Mortuus sanctum suum corpus in terra reliquit, sed anima ejus apud angelos habitat et pro nobis orat. 576 d: Sicut infantes per nativitatem e tenebris in lucem perveniunt, ita etiam defuncti per mortem e terra aerumnosa in hortum deliciarum. — Tandem in hymno Nisibeno 73, str. 1 clarissime testatur, animas sanctorum jam ante resurrectionem in coelo esse, cum dicat: *Ecce sub terra sunt cadavera sepultorum, et in coelo sunt justi. Hi enim duo loci portant deposita hominum; terra igitur et coelum reclamarent, si justis resurrectio negaretur.* Notandum hic est, optimos quidem codices A et B ita habere, codicem autem C, qui de industria mutare solet, habere *superne autem in coelo sunt eleemosynae et precationes nostrae,* sine dubio quia scriptor ejus recentiorum Orientalium errori circa animarum statum favebat. Hanc autem lectionem falsissimam esse, jam inde patet, quod stropham uno versu superfluo auget.

Jam supra vidimus ex hymno 8. de paradiso, secundum Ephraemi sententiam animas justorum ante Christum in hade detentas per ejus descensum ad inferos liberatas et in paradisum perductas esse. Similiter etiam III 312 b ait, Christum in suo ad inferos descensu Adamum ejusque liberos liberasse et in paradisum reduxisse, postea etiam corpora eorum resuscitaturum. Similia

leguntur 280—281; 303 c—d; 304 d—f; 313 e; 347 c; 511 e, et in nostris hymnis 38, 1. 5; 39, 2. 4. 6. 9. 18; 36, 12; 41, 15.

De impiis idem ac de beatis docet, scilicet eorum sortem definitivam jam ante resurrectionem et judicium universale post ipsam mortem incipere, cf. hymn. Nisib. 64, 25. Nonnulli loci apud S. Ephraemum occurrunt, e quibus iniquus censor eruere possit, eum Origenis errori circa finem poenarum favisse, sed eos alio sensu explicandos esse, demonstravimus in annotatione ad hymn. 59, 8.

Firmissimum sane habemus argumentum, quo demonstrari potest, animas sanctorum corpore solutas ex Ephraemi sententia et rationis plenum usum habere et arctissime cum Deo conjunctas esse. Docet enim sanctos, praecipue S. Mariam (III 481 a. 487 f. 532 a), a fidelibus invocandos esse, et statim inde a morte sua apud Deum pro hominibus intercedere, eosque suo suffragio adjuvare posse. Cf. III 227 b. e. 231 f. 234 d. e. 236 b. 250 f. 254 a. 255 d. 259 a. b. f. 269 d. 273 c. d. 509 f. 340 d. 345 e. 354 f. 355 a. 357 d, et in hymnis Nisib. 13, 18; 14, 25; 49, 17; 43, 8. 10. 11. 12. Praesertim docetur, sanctos in iis locis beneficia tribuere, ubi eorum reliquiae religiose asservantur et venerantur, cf. II 349—350, III 234 c, hymn. Nisib. 13, 18—21 et totum fere carmen 42.

Non vero omnes defunctos statim ad beatam illam conditionem pervenire contendit, sed animas, nondum ab omnibus peccati maculis purgatas, in purgatorio detineri, ibique bonis operibus et precibus superstitum, nec non incruento sacrificio, adjuvari affirmat. Ita ait III 565 d. e, eos, qui magis ex inscitia, quam malitia peccavissent, post mortem poenis castigari, usque dum justitiae divinae plene satisfacerent, poenis autem expletis eos in infimam paradisi regionem transferi. Cui congruit, quod 595 c affirmat, esse locum intermedium inter paradisum et gehennam, ubi defuncti castigentur et postea dimittantur, nec non, quae III 461 f. 462 a dicuntur. Preces autem et oblationes pro mortuis saepissime commemorat et commendat, cf. II 558 e; III 236 f. 238 b. 239 a. e. 260 a. b. c. 261 e. 263 a. b. 265 a. d. 267 e. 268 a. 269 a. 270 c. 275 a. 284 a. 288 d. 290 a. 291 d. f. 303 d. 314 d. f. 324 c. e.

337 a. 338 a. 349 b. 496 f. 509 d; hymn. Nis. 62, 31—32. Oblationes anniversariae commemorantur 303 f, oblationes in trigesimo post mortem die in testamento S. Ephraemi. In nonnullis locis ita loqui videtur S. Ephraem, quasi his precibus mortui e gehenna liberari et aeternam salutem consequi possint; sed tales loci non secundum verba accipiendi, sed commode ex clarioribus, supra positis, explicandi sunt. Nefas enim est suspicari, virum tam sanctum nescivisse, unicum tantum esse remedium contra mortem aeternam, mori scilicet in statu gratiae, et ecclesiae suffragia iis tantum defunctis prodesse, qui in hac vita, ut ipsis prodesse possint, procuraverunt. Immo hoc idem expresse docet II 358 a.

Denique ex loco III 299 b. c apparet, etiam S. Ephraemum, sicut nonnullos alios e vetustioribus patribus, putavisse, in judicio universali justis et peccatoribus per ignem explorantem transeundum esse, qui justos intactos relicturus, impios autem arsurus sit. Cf. etiam III 459 c. d.

Alterum, de quo paulo prolixius agendum videtur, est sententia Ephraemi de anhamartesia B. Mariae Virginis. Ait enim in carm. Nis. 27, str. 8 ex persona ecclesiae Edessenae, postquam se ipsam pulchram nominavit, et filios suos vituperavit: *Revera quidem Tu et mater tua, vos soli estis, qui omni ex parte omnino pulchri sint. In te enim, Domine, non est labes, nec ulla in matre tua macula. Filii autem mei his duabus pulchritudinibus minime similes sunt.* Probatione vix eget, Ephraemum hoc loco S. Virgini immunitatem non solum ab actuali, sed etiam ab originali peccato tribuere. Adscribit enim ei talem sanctitatem, quam cum solo Christo participat, quaque omnes reliqui homines carent. Alias autem Ephraem semper primum locum concedit infantibus, qui post baptismum sine peccato actuali e vita decesserunt, eosque omnes sanctos honore et dignitate superare contendit (cf. III 300 c. 582 f. hymn. Nis. 63, 23). Si ergo de actuali tantum peccato ageretur, Maria Virgo non sola praeter Christum hac immunitate gauderet, sed in eundem cum infantibus post baptismum mortuis ordinem releganda esset. Habemus ergo hic per iteratam omnis peccati negationem, per comparationem cum anhamartesia

Christi et per oppositionem contra alios omnes homines directum testimonium Ephraemi de conceptu immaculato S. Mariae, pro quo adhuc plura magis indirecta apud eundem inveniuntur.[1]) Ita ait II 327 a: *Duae innocentes, duae simplices, Maria et Eva, sibi quidem prorsus aequales factae erant; postea vero altera facta est causa mortis, altera vitae nostrae.* Hic aperte S. Mariam aeque puram a quovis peccato et in eadem integritate constitutam esse statuit, ac Evam ante lapsum. Similia leguntur p. 329: *Apertum est, Mariam esse portam lucis, quia per ipsam illuminatus est mundus ejusque habitatores, qui obscurati erant per Evam, causam omnium malorum. Similes sunt corpori, cujus alter oculus coecus et tenebrosus, alter autem purus et luminosus est, illuminans omnia. Ecce mundo infixi sunt duo oculi; Eva erat oculus coecus laevus, Maria autem lucidus est oculus dexter* etc. Cf. etiam p. 318: *Amissa est per Evam et restituta per Mariam gloria illa pulchra et desiderabilis, quae recesserat ab Eva et Adamo,* et pag. 321: *Mater stulta est fons miseriarum nostrarum, sed soror prudens est thesaurus gaudiorum nostrorum.* Similiter ait II 326 a, Adamum per novam Evam rursus in paradisum intravisse, et III 150 e (ubi ܟܒܬܐ pro ܢܒܬܐ legendum est), nec non III 607 a. b. eam cum coelo comparat. Notandum quoque videtur II 423 f: *Omni modo exornasti eam, o decus matris tuae,* et II 397 a: *Terra virgo genuit primum Adam, caput terrae, virgo quoque genuit hodie novum Adam, caput coeli.* Terra ideo virgo nominatur, quia nondum a Deo maledicta erat; comparatio ergo postulat, ut etiam Maria maledictioni peccati non subjacuerit. Cf. etiam III 601 c. d. Bibl. Or. I, 90.

Omnino nulla fere ecclesia tam constanter et unanimiter anhamartesiam S. Mariae semper docuit, quam syriaca. Testem

---

1) In sequentibus opera graeca S. Ephraemi non respeximus, quia a nonnullis eorum authentia dubitatur, quamquam nos ea maxima ex parte genuina censemus. Ea laudibus S. Virginis abundare notum est. — Ceterum notandum est, hanc doctrinam apud Ephraemum eo majoris aestimandam esse, quo clarius et accuratius idem peccatum originale docet.

saeculi sequentis quinti afferemus S. Jacobum Sarugensem, hanc conclusionem tamquam axioma proferentem: *Si fuisset in anima Mariae ulla macula aut defectus, aliam utique, eamque immaculatam matrem elegisset sibi Dominus* (cf. Bibl. Or. I, 310). Ejusdem verba laudantur in Officio Syrorum p. 292 ܠܟܝ ܒܫܠܡܐ. ܙܕܝܩܘܬܐ. ܕܠܐ ܐܬܚܒܠܬ. ܫܠܡܐ ܠܟܝ. ܚܘܐ ܚܕܬܐ. ܕܝܠܕܬ ܠܥܡܢܘܐܝܠ. *Adesto in pace, o justitia nunquam laesa; pax sit tecum, o nova Eva, quae Emmanuelem peperisti!* Haec quoque eidem adscribuntur Jacobo in Officio Maronitarum p. 457 ܐܠܦܐ ܕܛܥܢܬ. ܛܒܬܐ ܘܣܝܡܬܐ. ܡܢ ܐܒܐ ܐܬܝܬ. ܘܐܣܦܩܬܝ. ܠܥܘܬܪܟܝ ܒܐܪܥܐ. ܕܡܚܪܒܐ ܗܘܬ. *O navis, quae portasti bona et thesauros a patre, et advenisti, evacuasti divitias tuas in regionem nostram sterilem!* In eodem Officio Maronitarum haec habentur p. 476 ܫܠܡ ܠܟܝ ܒܪܬܐ ܚܒܝܒܬܐ ܕܟܣܝܬ ܥܪܛܠܝܘܬܗ ܕܐܒܘܟܝ. ܕܐܬܥܪܛܠ ܗܘܐ ܒܦܪܕܝܣܐ. ܘܗܝ ܕܦܪܥܬ ܚܘܒܬܐ ܕܫܪܒܬܐ ܘܥܡܡܐ. ܘܐܗܦܟܬܝܗ ܠܐܒܘܟܝ ܠܗܘ ܐܬܪܐ ܕܢܦܩ ܡܢܗ. (*Pax tecum, o filia dilecta, quae operuisti denudationem patris tui, qui denudatus erat in paradiso, et quae solvisti debitum omnium generationum et gentium, et reduxisti patrem tuum ad illum locum, unde egressus erat*), et p. 25 haec omnium fere luculentissima ܠܟܝ ܒܫܠܡܐ. ܡܐܢܐ. ܚܕܬܐ ܕܐܠܝܫܥ. ܗܘ ܕܒܗ ܐܬܒܣܡ. ܗܘ ܡܪܝܪܐ. ܣܡܐ ܕܐܫܕ ܚܘܝܐ. ܒܝܬ ܐܝܠܢܐ. *Adesto pacifica, o novum vas Elisaei, per quod* (seu *in quo*) *edulcatum est amarum illud venenum, quod serpens effuderat inter arbores*, peccatum scilicet originale. Maxime autem notatu dignum est, vel ipsos Nestorianos, alioquin in Dei genitricem iniquiores et ad rationalismum pronos, antiquam hanc traditionem retinuisse, ut apparet non solum ex eorum libris liturgicis, in quibus multa testimonia indirecta inveniuntur, sed etiam ex directa assertione Georgii Vardae, celeberrimi eorum hymnographi, qui floruit sub initium saeculi XIII (cf. de eo Bibl. Or. III, P. I, p. 561). Hic enim ait: *Maria sanctificata est jam in ipso momento conceptionis suae, ipsa sola est praeservata ab universali diluvio peccati.*[1])

---

1) Haec verba citantur a Josepho Audo, Chaldaeorum patriarcha, in Pareri de' vescovi III, p. 177. Sine dubio desumpta sunt ex hymno Vardae de

VII. De re metrica.

Omnia haec carmina modum seu melodiam suam praescriptam habent, hac formula ܥܠ ܩܠܐ, quae antiquissima est, interdum etiam ܒܪ ܩܠܐ (de cujus significatione vide indicem verborum). Recentiori usu receptae sunt formulae ܩܠܐ, vel ܩܠܐ ܕܥܢܝܢܐ, ܩܐܢܘܢܝܣ, etiam simpliciter ܕ ܥܠ, ܒ, ܠܩܘܒܠ. Recensebimus singulos modos, simulque schema eorum metricum indicabimus, quod nonnunquam valde difficile est inventu, cum scribae puncta in fine versuum saepe vel omittant vel falso loco collocent, ob ignorantiam metri, ut videtur; creberrimi enim sunt hi errores in metris difficilioribus; eos annotare, superfluum habemus.

1) ܐܦܢܝ ܩܘܡܘ ܡܫܝܚܬܐ carm. 1. Hic modus fortasse denominatus est ab hymno Ephraemi, incipiente ܐܦܢܝ ܩܘܡܘ ܘܐܬܬܐ (B. O. I, 88), et hunc in singulis versibus syllabarum numerum habet: 7778777477778.

2) ܒܪܐܘ ܟܘܡܘܠܟܬܐ carm. 2—3; 43—49. Ita incipit hymnus Ephraemi ed. rom. III 581. In margine hic modus nominatur ܕܦܪܕܝܣܐ, quia hymni S. Ephraemi de Paradiso hoc metro exarati sunt. Schema hoc est: 55555575555.

3) ܒܥܕܐ ܕܐܘܟܪܝܢ carm. 4. 8—12, vocatur in margine ܐܘ ܒܥܕܐ ܪܥ ܐܪܙ (quod est carmen 74 nostrae collectionis) et ܩܘܩܝܢ (?) ܩܢܛܘܠܝܘܢ. Eadem prorsus melodia in carm. 74—77 praenotatur: ܐܘ ܡܪܢ ܡܫܝܚܢ. Schema: 55555. ⁊

4) ܠܟܝ ܫܠܝܚܐܬ carm. 5—7. 25—30. 31—33 sub inscriptione ܩܘܡܘܢܝܘܗܝ. Schema: 555555.

5) ܠܗܪܐ ܐܢܬܝ ܡܪܝ ܟܠ ܕܡܠܟܬܐ carm. 13—14. Schema: 777777.

6) ܐܠܗܐ ܕܐܣܩܠܘܢܝܘܣ carm. 15—16. Schema: 77777.

7) ܐܬܦܠܓܘ ܗܘܘ ܡܠܟܐ carm. 17—21. Schema: 7777777777.

8) ܡܠܟܐ ܡܫܒܚܐ (qui est hymnus Ephraemi, a Xenaja laudatus,

B. Maria, qui exstat in cod. Amid. I (cf. Bibl. Or. I, p. 581), et ex quo etiam Josephus II, Chaldaeorum patriarcha, testimonium laudat (B. O. III, P. I, p. 607).

cf. B. O. I, 56) carm. 34. Codex B habet ܠܐ ܠܐ ܕܐܬܚܙܝ ܠܒܥܠ ܡܫܝܚܐ, A autem in margine ܐܚܐ ܕܚܙܐ. Schema: 6446444444558.

9) ܡܪܢ ܘܡܚܝܢܐ carm. 35—42, in margine ܕܪܒܐ, in B etiam ܦܘܩ ܒܡܠܟܘܬܗ. Schema: 44449777747710.

10) ܐܬܐ ܡܪܢ ܠܡܠܟܘܬܗ (est hymnus Ephraemi, cf. ed. rom. III, 22) carm. 50. Schema: 56744445.

11) ܐܘ ܚܕܘܬܐ ܕܦܘܪܩܢܐ carm. 51. Est hymnus Ephraemi, cf. Opp. III, 450. Schema: 77777777.

12) ܐܘ ܡܠܘܬܐ ܠܐ ܡܬܚܡܬܐ carm. 52—68. Hic titulus sumtus est ab initio carminis Nisibeni 68. Schema: 7474. In carmine tamen 60 prima tantum stropha regulam sequitur, reliquis octonas syllabas pro septenis habentibus.

13) ܐܝܠܢܐ ܕܗܘܐ carm. 69—70. Schema: 6666. In his duobus hymnis multo plures diaereses inveniuntur, quam in reliquis, fortasse quia S. Ephraem rarius metro hexasyllabo utebatur, eique minus assuetus erat.

14) ܚܝ ܗܘܐ ܘܡܠܟ ܡܠܟܝܢ carm. 71—73. Schema: 7777777. In Cod. C falso superscriptum est ܐܬܐ ܡܪܢ ܠܡܠܟܘܬܗ, quae alia prorsus est melodia.

Post primam stropham uniuscujusque carminis subjungitur unitha (ܥܘܢܝܬܐ), rubro colore exarata. Haec vox, quae alias carmina liturgica breviora significare solet, hic *responsorium* indicat, quam significationem primitivam habeo, quia radicis etymo magis vicina est. Constant autem haec responsoria uno versu vel duobus, vel ad summum quatuor, qui semper quoad numerum syllabarum exacte cum ultimis strophae versibus concordant, et qui procul dubio non solum post primam, sed post omnes singulas carminis strophas canebantur. Alia est ratio carminis primi, in quo unitha ad ipsum schema metricum pertinet et in unoquoque versu variatur, et carm. 17—21. 53, quae nullam unitham adscriptam habent. Sed in carm. 17—21 ultimus strophae versus doxologicus revera unitham repraesentat, in carm. 53 autem per errorem scribae omissa videtur. In carm. 50 duplex est unitha; stropha enim in unum versum pentasyllabum desinit, cum unitha ex duobus constet; sed inter utrumque maxima interpunctatio

quatuor punctorum posita est. Haec responsoria, quae semper supplicationem aut doxologiam continent, sine dubio a choro populi canebantur, cum ipse hymnus ab uno ex clericis exhiberetur. Hanc enim rationem alternatim canendi ex ecclesia syriaca originem duxisse, testantur Theodoretus (hist. eccl. 2, 4) et Sozomenus (6, 8).

Denique nonnulla de syllabis ob rationes metricas vel augendis vel minuendis adjicienda videntur, praesertim cum haec etiam ad lectiones critice dijudicandas vel mutandas valde necessaria sint. Si enim nullo modo necessarius syllabarum numerus restitui potest, versus de corruptione suspectus est. Multum ergo interest, ut certas regulas, ex quibus syllabarum numerus vel augeri vel minui potest, inveniamus. Quod hucusque praesertim tentatum est ab Hahn et Sieffert (Chrestomathia syriaca, p. XI—XVI), sed regulae hic datae majori ex parte falso fundamento nituntur, cum ex metris falso explicatis deductae sint. Plurima enim exempla affert Hahn e carm. XI et XII (ed. rom. III, p. 30 et 35), quorum schema putavit esse 5555555, cum tamen revera sit 5656565. Ex quo falso principio nonnullos errores, praesertim durissimas synaereses, in hanc rem invexit. Praesertim autem errat in sequentibus: 1) falso docet, zeqâpham elidi posse (pag. XIII et XIV), quod exempla adducta probare nequeunt. Nam versus VI, 1, 5 cum antecedente conjungendus et bfurshonod-nchuniv dobure efferendus est, XVIII, 13, 5 autem legendus jhudo lforukan ashlem. Versus X, 4, 2 et 3 aliter dirimendi sunt, hoc nimirum modo: atlod nçurun lan-rucho bsamone; X, 8, 2 et 10, 1 lege nafshomn çajore, et ainomn çajore. Cetera exempla ex hymnis XI et XII falso intellectis depromta sunt. — Pethâcha quidem et Rebâça interdum eliduntur, sed rarius, et fere omnia Hahnii exempla falsa sunt. Prorsus autem rejiciendum, quod p. XVI ipsum articulum supprimi posse affirmat; versus enim XII, 11, 5 cum v. 6. locum suum permutare debet; sed XI, 11, 6; XII, 3, 4; 7, 2. 4 omnes suo jure versus sunt hexasyllabi. 2) Affirmat p. XIV, praefixa vocales suas amittere posse, etsiamsi vox praecedens non in vocalem, sed in consonam desinit, quod falsum est; exempla

enim nonnisi e carminibus XI et XII profert. 3) Nec minus impossibile est, secundam vocalem conjugationis Pael supprimi posse, quod Hahn p. XV contendit, exemplis tamen ad probandum minime idoneis propositis.

Breviter nunc indicandum est, quando synaeresis et diaeresis locum habere potest, simulque exempla quaedam ex hymnis nostris addenda. *Diaeresis* in eo potissimum consistit, quod praefixa cum vocali adscititia efferuntur, ita invenitur praepositio ܒ 9, 35; 10, 87; 13, 112; 14, 133; 15, 12. 53; 18, 64; 19, 35; 36, 168. 205; 53, 43; 55, 55; 58, 23; 61, 41; 62, 94; 66, 61; 69, 4; 70, 4. 6. 85; 74, 27; 39, 134. 269; 43, 232; 50, 105; ܠ 9, 6. 8; 10, 24. 25. 91; 34, 56; 39, 179; 53, 25. 87; 55, 3; 58, 20; 59, 11. 42. 51; 62, 130; 63, 77; 61, 79; 68, 65. 108; 69, 5; 70, 3; 72, 31; ܕ 15, 22; 27, 29; 39, 49; 57, 132; 64, 21; 65, 38; 69, 9. 38. 49; 70, 84. Nec minus copula ܘ hanc vocalem auxiliarem adsciscit, cf. 10, 26; 13, 49; 29, 150; 50, 97; 52, 83; 54, 21; 69, 8. 61; 71, 10; 75, 117. In his diaeresibus nulla habetur ratio ejus legis, secundum quam Olaph vocalem suam in praecedentem consonam remittit, cf. 13, 36; 21, 108; 39, 35; 41, 179. 207; 42, 84; 53, 89; 57, 72; 61, 37; 70, 90. 91. 93. Praepositio ܥܠ etiam sequentibus suffixis vocalem retinere potest, cf. 5, 92; 13, 118; 14, 150; 31, 22; 35, 13; 37, 31; 39, 37; 52, 67; 58, 25. 49; 68, 51; 71, 54; 74, 30; 75, 94. — Praeterea vocalis auxiliaris ubique in prima vocis littera, vocali destituta, poni potest, ut in perfecto Peal 35, 37. 136. 227; 38, 12; 42, 88; 53, 37; 55, 70; 57, 96; 65, 18. 42; 66, 27; 68, 34; 72, 35, in imperativo 13, 122; 38, 132; 41, 153, in futuro 69, 56; 70, 96, in participio Peil 65, 52; 67, 11; 69, 7. 22. 40. 108; 77, 64 et in participiis Pael atque Aphel 11, 64; 61, 110; 62, 77; 64, 10; 69, 66; 70, 38. Eandem diaeresem in nominibus habes 13, 123; 14, 32; 21, 101; 35, 15; 38, 98; 39, 168; 41, 78; 52, 63; 58, 21; 68, 43; 70, 62; 53, 42.

De *synaeresi* haec praecipue notanda sunt. Si vox praecedens in vocalem desinit et sequens in Olaph incipit, hoc Olaph cum sua vocali elidi potest, nec refert, utrum Olaph sit servile (ut 1, 54; 2, 197; 7, 5; 12, 10. 40; 29, 29; 31, 120; 43, 75; 68, 99),

an radicale (ut 2, 63; 7, 13; 27, 9. 12. 74; 29, 4. 195. 199; 32, 6; 43, 137; 45, 177; 46, 76. 78; 47, 17. 58; 65, 11; 67, 21; 74, 67). Idem in littera Ee locum habet, cf. 2, 172; 5, 44. 108. 109; 14, 15; 26, 33; 27, 105. 107; 28, 26. 51; 31, 62; 40, 39; 41, 96; 44, 67; 57, 52; 62, 87; 1, 47. Sed Olaph vel tum elidi potest cum vocali, si vox praecedens in consonam desinit, cf. 1, 53; 2, 39. 159. 160; 3, 97; 15, 65; 32, 20; 33, 71; 27, 92. 96; 28, 57; 38, 123; 66, 71, nec minus in initio versus (3, 63. 79. 91; 14, 128; 16, 86; 29, 89. 154; 30, 19; 31, 21; 33, 14; 41, 84. 176; 40, 66; 43, 187; 44, 112; 50, 96; 54, 60; 61, 43; 67, 30; 73, 34), post praefixa (2, 77; 7, 30; 27, 47; 29, 196; 30, 5. 119. 124; 32, 49; 33, 8. 63; 67, 77) et in passivis verborum primae Olaph (3, 75. 76; 29, 15; 30, 107. 125; 33, 7; 44, 59). Particulae ܐܝܟ (5, 125; 29, 174; 35, 171; 44, 77. 108; 47, 78) et ܟܠ (3, 92; 31, 145; 43, 123) nonnunquam sine vocali efferuntur. — Praefixa ܒ ܕ ܠ ܘ vocalem amittere possunt, si vox praecedens vocali clauditur, cf. 1, 62; 2, 4. 32. 33. 52. 61. 122. 163. 173; 3, 34. 41. 104; 4, 17. 23. 37. 66. 69. 105; 5, 57; 31, 28. 39. 61. 209; 33, 51; 36, 236; 39, 34; 43, 38. 94. 263; 46, 112; 53, 29. Neque obstat; si duae illae voces ad diversos versus pertinent, cf. 1, 44; 29, 204; 31, 117; 50, 39; 58, 7. Sed interdum etiam prima littera radicalis vocalem suam abjicere potest, si vox praecedens vocali clauditur, cf. 1, 38. 90; 3, 60. 100. 122; 29, 105. 149. 177; 30, 120. Particulam ܡܢ vocale antecedente sine vocali pronuntiare licet, cf. 2, 108; 6, 122. 186. 187; 32, 14; 39, 123; 43, 43. 58; 44, 107. 111. — Lex, secundum quam Jud ante consonam in vocalem resolvitur, in carminibus non semper servatur, cf. 2, 86; 5, 140; 12, 8; 3, 80; 6, 72; 31, 96. 218; 33, 96; 43, 93. 243; 46, 121. 123; 49, 161; 62, 3; 75, 18. 92. — Denique vocales breves pethâcha et rebâça nonnunquam per marhetânam tolluntur, ut ܡܪܘܬܐ 36, 231, ܫܡܥܬܐ 2, 75; 43, 185; 44, 69, ܡܪܘܡ 3, 8, ܫܘܒܚܐ 31, 103, ܬܘܕܝܬܐ 43, 28, ܒܠܘܡܐ 21, 17, ܡܫܒܚܬܐ 50, 10, immo ante litteram dagessatam, ut in ܟܬܒܐ 1, 136 et in conjugatione Pael ܦܪܩ 1, 3 et ܫܡܫ 18, 68.

VIII. Supplementa ad lexica syriaca ex hymnis S. Ephraemi.

Primum eas tantum voces, quae in hymnis Nisibenis lexicis ignotae occurrunt, notare constitueram; postea autem non inutile fore censui, si ea, quae mihi ex reliquis quoque S. Ephraemi operibus poeticis excerpsi, adderem. Visum igitur est, non solum verba et significationes prorsus novas recipere, sed ea quoque, quae in lexicis habentur quidem, sed sine testimoniis sola syriacorum lexicographorum auctoritate nituntur. Ea vero verba, ad quae probanda in lexicis[1]) vel unicum citatur testimonium, brevitati studens semper omisi, nec alia testimonia adjeci, quamquam saepe non sine aliqua utilitate fuissent. Hymnos Nisibenos secundum carmen et versum citavi, editionem S. Ephraemi romanam secundum tomum, paginam, litteram marginalem.

---

1) Lexica, quae ad hunc finem inspexi, haecce sunt: lexicon Castelli a Michaeli editum, Schaafii concordantiale ad novum testamentum syriacum, glossaria Bernsteinii, Hahnii, Rödigeri ad chrestomathias ab iis editas.

Index vocabulorum, in lexicis aut deficientium aut sine testimonio positorum.

ܐ

ܐܘܒܕܘܬܐ perditio III 43 f.

ܐܒܝܘܬܐ delictum significare videtur 67, 84, cf. أبي contumacem esse, renuere, nolere, أبية superbia, أبي, renuens, contumax.

ܐܒܝܠܘܬܐ tristitia 4, 131; III 581 f.

ܐܓܡܢܐ pro ܐܓܢܐ scribi solet in cod. A, cf. 9, 49; 11, 83; 39, 255; 45, 70; 46, 64. Alii codices habent ܐܓܘܢܐ. Simili modo etiam ܐܓܪܬܐ epistola in codd. invenitur.

ܐܓܪ Pa. pro mercede accipere II 440 c.

ܐܕܐܡܘܣ ἀδάμας III 67 e.

ܐܬܘܢܐ fovea ignea 58, 13; II 383 c.

ܐܕܡܐ quod Michaelis verbum syriacum esse negavit et nonnisi Gen. 2, 7 inveniri contendit, exstat etiam III 581 a.

ܐܘܐ Pa. concordem facere 54, 87.

ܐܘܩܝܐܢܘܣ ὠκεανός II 390 d.

ܐܙܠ ire cum acc. viae 74, 114; e vita abire II 558 e.

ܡܐܙܠܬܐ iter III 290 a. 418 d.

ܐܚܘܕܐ lictor III 92 f. 93 e. 139 f; retinens, coagulativus II 316 e.

ܐܠܝܨ coarctatus, restrictus 3, 8; III 666 c.

ܡܬܐܟܠܢܐ esculentus III 589 e.

ܐܠܡܢܐ impostor, deceptor II 496 f. 508 a; levis II 426 f; debilis 35, 260; III 392 b.

ܐܠܗܐܝܬ divine III 519 b.

ܐܠܨܬ necesse est, sequitur II 447 c, idem ܐܠܨܐ II 454 e. — ܡܢ ܐܠܨܬ quid opus est? 68, 54. 95.

ܐܠܨܐܝܬ ficte II 548 c.

ܐܡܢܐ Plur. ܐܡܢܘܗ̈ III 613 a.

ܐܡܘܡܢܐ (ita scribendum est, non ܐܡܘܡܢܐ, cf. chald. אמומא) forma, proplasma II 521 c.

ܐܡܘܪܐ studens, laborans III 67 e. 70 a.

ܐܐܢܬܝ pro ܐܢܬܝ 2, 55. Duplex olaf error scribae videtur.

ܐܢܬܝ 9, 58, vetustior forma pronominis ܐܢܬ, quae apud Samaritanos in usu est. Plura dabit Rödiger in ZDMG XVI, 550.

ܐܦܐ ܒܐܝܢܐ qua fronte? 9, 39.

ܐܦܘܡܦܐ pompa 74, 50. — ܒܐܦܢܝܣ

ܐܦܢܝܣ diverso modo 52, 59; 62, 107; II 533 a. III 674 b. 676 e.

ܐܨܦ Pe. coacervare 29, 250. — Pa. occultare, obtegere II 362 e.

ܐܨܦܬܐ commeatus III 370 a.

ܐܨܦܢܘܬܐ coacervatio, depositorium III 574 a.

ܐܣܩܝܛܪܐ asceterium III 374 e.

ܐܦܘܣܝܐ ἀπουσία, scobs, intertrimentum III 592 b.

ܐܦܣܩܘܦܐ pro ܐܦܝܣܩܘܦܐ 31 in inscriptione.

ܐܦܘܦܣܝܣ ἀπόφασις III 387 e.

ܐܪܝܘܬܐ leaena III 372 d.

ܐܘܪܟ ܪܘܚܐ patienter exspectare 41, 95.

ܐܪܡܠ viduus II 421 d.

ܐܪܥܝܐ contignatio, quae plano pede est (erdgeschoss, gleicher erde) III 568 a.

ܐܣܐ Pa. pro ܐܣܝ sanare II 407 f, ubi Bernstein quidem (syrische studien ZDMG IV, 309) legendum proponit ܐܣܝ. Sed significatio certa est, cum etiam III 385 d occurrat. Exacte respondet arab. أسا et hebr. אִשְׁיָה. — Pro significatione seducendi, quae eidem verbo in Pa. tribuitur, unicum inveni testimonium II 457 e.

ܐܫܘܕܐ is, qui effudit III 251 b.

ܐܫܩܠܐ generatim ager III 239 a; in Plur. possessiones, peculia III 163 a (ubi de grege ovium adhibetur).

ܐܬܩܦܘܬܐ incantatio II 383 b.

ܐܬܪܐ ܝܗܒ concedere 14, 84; 75, 109; II 554 d. III 258 c.

ܒ

ܒ quod vocatur essentiae, cf. II 324 e ܒܐܪܙܘܗܝ *tamquam symbola ejus*, II 444 d ܐܡܪܝܢ ܠܗ ܒܒܪܘܝܬܐ *praedicant eam tamquam creatricem.*

ܒܐܫ Pe. impersonale sequ. ܠ, malum est 10, 84; 59, 46; II 381 f.

ܡܒܐܫܢܐ depravans II 481 a.

ܡܒܕܩܢܐ reparator II 431 e.

ܒܕܪ Fut. U, Pe. inspergere III 374 b. 382 c; spargere III 397 a.

ܒܗܠ Pa. sedare II 439 a. — ܒܗܝܠܐ remissus, piger III 588 a.

ܒܗܡ Pe. cessare, ut videtur, III 614 e.

ܒܘܪܚ aperire portam 13, 19.

ܒܘܛܠܐ solutio, abrogatio II 519 b.

ܒܝܬܝܐ domesticus III 201 d. 202 b. 394 e.

ܒܝܬܝܘܬܐ familiaritas III 251 c.

ܒܟܪ Pe. maturescere, maturum esse 29, 122; 62, 115. — Pa. praecedere II 407 a; primitias tribuere III 41 f. ܒܟܪ ܩܕܡ anticipare 15, 32. 33; 58, 1.

ܒܟܝܪܐ primitius II 341 f. 407 a. 419 a. III 582 f. 594 c. f.

ܐܬܒܠܒܠ confundi 37, 58; II 450 d. 471 f. 472 b. III 40 f. 116 c. 317 d.

ܒܘܠܒܠܐ confusio 6, 102; II 441 b. 471 e. III 116 a. b. 120 a. 195 a. 196 a.

ܒܠܒܠܘܬܐ confusio, permixtio II 448 f. 453 b. III 41 e. 50 e. 195 a.

ܒܠܒܝܠܐܝܬ confuse 62, 109; II 446 d. 450 b.

ܒܠܐ Pa. deterere, corrumpere vestem II 440 a. 533 b.

ܒܠܥܕ sine, absque praemisso ܡܢ II 458 d.

ܒܠܚܝܬܐ caries II 335 c.

ܒܠܘܩܐ desertum, solitudo, terra nihil producens 3, 99, cf. arab. بَلُوق, بَلُوقَة.

ܒܢܝܢܬܐ aedificatio II 551 a.

ܐܬܒܣܒܣ dilaniari 57, 117. 120.

ܒܘܣܒܣܐ dilaceratio, miseria 3, 85; 6, 3; II 464 a. III 18 f. 621 a.

ܒܣܝܐ incuria, negligentia 20, 14; 55, 91.

ܒܘܣܡܐ jucunditas, vita lauta II 542 e.

ܒܘܣܡܢܐ aroma III 277 e.

ܒܨܝܪܐ humilitas III 266 d.

ܒܣܝܪܐܝܬ negligenter II 532 c.

ܒܥܬܐ disquisitio II 423 d.

ܒܥܘܝܐ petitor II 467 d. III 33 b. 261 d. 263 f. 284 a. 299 d. 345 e.

ܒܥܕ Aph. cum acc. et ܡܢ disjungere, distrahere aliquem ab aliquo, discrimen ponere III 117 d. — ܡܒܥܕ remotus III 15 c. 77 c. 125 f. 136 e. 166 e. 167 a. 182 f.

ܒܥܠ fortasse nubilem esse 70, 28. — Ethpe. nubere III 227 a.

ܒܥܠܢܝܘܬܐ vita matrimonialis III 582 e.

ܒܥܪ Pe. effervescere II 439 f.

ܒܥܪܝܐ ferus, immitis II 463 f.

ܒܥܪܝܪܐܝܬ efferate, immaniter II 466 c. III 42 d. 170 a.

ܒܘܥܪܐ racemus residuus III 238 b. 251 f.

ܡܬܒܥܝܢܐ perscrutabilis III 176 a.

ܒܨܥ Aph. consumere, de rubigine III 107 d.

ܒܘܩܝܐ probatio, exploratio 26, 32.

ܒܪ ܩܠܐ non solum, ut asserit Assemanus (Bibl. Orient. I, 80) significat *secundum eandem melodiam*, sed etiam simpliciter *ad modum*, cf. 2 in inscr.

ܒܪܐ Ethpa. excludi II 344 d.

ܒܪܝܬܐ ea, quae extra sunt, exteriora 9, 38.

ܒܪܝܐܝܬ externe III 58 f.

ܡܒܪܟܬܐ tamquam cognomen urbis Edessae jam invenitur 34, 50.

ܒܫܠ Ethpa. coqui, perfici, ad maturitatem perduci III 138 e. — Pa. maturare III 594 c.

ܒܬܘܠܐܝܬ virginee II 478 d.

ܓ

ܓܘܢܚܬܐ Plural. ܓܘܢܚܬ̈ܐ deliciae, malo sensu III 512 e. 513 d, bono sensu 7, 16; III 229 a. 241 d. 420 d. 471 e. 475 c. 590 b. 591 b. 594 b. 595 f.

ܓܕ Pe. abscidere 5, 139; III 282 d. — Part. poel erectus, sublimis II 457 a.

ܓܕܝܕܐ amarus 34, 28.

ܓܕܠ Pa. plectere, coronam nectere III 163 c. — Aph. coronare III 574 f.

ܡܓܕܪܐ ܕܦܝܠܐ elephantum significat II 437 e.

ܓܘܝܬܐ ea, quae intra sunt 9, 37.

ܓܘܚ Aph. nunquam nisi cum ܫܐ conjunctum inveni; significat ejicere. Cf. 43, 199; II 453 e. 485 b. Bibl. Or. I, 112.

ܓܘܠܬܐ seu ܓܠܬܐ putamen, cortex III 570 a.

ܓܕܝܕܐ dividuus III 156 e.

ܓܘܙܐ sterilitas II 427 a.

ܓܕܕܐ exsectio, amputatio 11, 23; II 550 b.

ܡܓܠܝܢܐ manifestans III 383 d.

ܓܠܝܢܐ apocalypsis II 488 f.

ܓܠܐ Fut. U, revelare, retegere III 160 d. 556 b; auferre II 466 c. III 17 d.

ܓܘܣܪܐ audacia III 414 a. 532 e.

ܓܣܘܪܐ audax II 337 e.

ܓܘܡܬܐ fovea, sepulcrum III 159 a.

ܓܘܡܬܐ fovea II 335 f.

ܓܢܐ Pa. vituperare 27, 43; II 479 f. 480 a. — Ethpa. vituperari III 253 d. e.

ܡܓܢܝܐ cubile III 588 f.

ܓܢܒ Ethpe. eripi, fraudari III 585 b. 598 c.

ܓܘܢܒܐ furtum III 207 a.

ܓܢܝܒܬܐ res furto ablata II 526 b.

ܓܢܚ Pe. mirari, obstupescere, Fut. A III 448 e. — Pa. terrere II 410 f. 319 c. — Ethpa. terreri, exhorrescere II 480 a. 351 f. — Ethpe. idem III 571 a. (ubi ܐܬܓܢܚ corrigendum est).

ܓܘܢܚܐ terror, timor 31, 163; 36, 32; 41, 155; II 353 b. 482 b. 493 c. 549 a. III 151 f. 233 d. 296 a. 297 d. 308 f; clamor III 29 f.

ܓܥܐ intrans. scaturire, prorumpere 3, 71; 19, 77.

ܓܥܣ Pa., sequ. ܒ vomitum movere alicui 71, 56.

ܓܘܥܣܐ vomitus 21, 133.

ܓܥܐ significat etiam sinum una cum brachiis, sicut ܥܘܒܐ, ex quo ortum videtur. Cf. 9, 20; 31, 218.

ܓܪܒ Pe. med. E, leprosum esse III 572 b.

ܐܬܓܪܓܫ se prosternere, supplicare III 551 e.

ܓܪܕ Fut. U, eradere II 335 f.

ܬܓܪܘܡܬܐ sceletus 39, 210.

ܓܪܦ Pe. quatere (alas) III 35 a.

ܓܪܦܐ inundatio 31, 160.

ܓܫܫ Ethpe. lacerari III 633 f.

ܓܫܡܢܐ solidus (oppos. ܪܘܚܢܐ) III 177 e.

ܓܫܡܢܐܝܬ corporaliter 18, 15; II 460 c. 513 d.

ܓܫܪܐ pro ܓܫܘܪܐ pons III 665 f.

ܕ

ܕܐܘܐ pro ܕܘܘܐ miseria 76, 50. Cf. Middeldorpff, codex syriacohexaplaris, p. 497.

ܕܒܐ musca III 372 f.

ܕܒܘܚܐ sacrificator II 509 a.

ܕܓܫ Ethpe. morderi II 439 c.

ܕܒܩ Ethpe. conjungi, uniri II 473 b.

ܕܒܘܪܐ vespillo III 237 f.

ܕܗܢ Pa. pinguefacere III 590 b.

ܕܗܝܢܐ pinguis III 589 e.

ܕܘܠ Pa. excitare, movere, perturbare II 462 b. 334 c. III 439 e. B. O. I, 94.

ܡܬܕܝܢܢܐ judicatus, judicandus III 244 f. 407 a. 485 e. 486 a.

ܕܘܨܐ exsultātio III 240 b.

ܡܕܝܪܐ contignatio, mansio 1, 112.

ܕܫ Pa. (praecepta) conculcare, contemnere, violare II 410 f.

ܕܘܚܝܐ (secundum Bernstein l. c. p. 309 ܕܘܚܝܐ) expulsivus II 361 e.

ܕܘܚܠܐ terrefactio 16, 94; II 524 e.

ܕܚܩ Ethpe. expelli III 572 b.

ܐܬܬܕܟܝ purgare 30, 85, ut videtur, Etthaphal verbi ܕܟܐ, fortasse autem passivum conj. Taphel.

ܕܠ Pa. extrahere II 527 c. 535 e. III 94 e. — Ethpa. extrahi, educi 74, 31; II 399 b. III 447 e.

ܕܠܘܚܝܬܐ aqua turbata III 113 f.

ܕܠܝܩܐ flamma III 75 e. 76 a.

ܐܢܬܬܐ ܕܡܗ haemorrhoissa, proprie *femina sanguinis sui* 27, 10, etiam ܗܝ ܕܡܗ III 554 e, et simpliciter ܕܡܗ B. O. I, 96. Eadem constructio apparet in ܢܡܪܐ ܕܦܨܘܠܬܗ 7, 31 panthera maculosa, versicolor, ܩܛܘܠܐ ܕܪܘܓܙܗ 1, 149 occisor furiosus, immo cum nominibus propriis, ܐܦܪܝܡ ܕܚܟܝܡܘܬܗ B. O. I, 397 Ephraem sapientissimus, ܡܪܝ ܕܟܠܒܘܬܗ B. O. I, 327 Maris canum.

ܕܡܝܗ dignum pretium, aequivalentum 4, 80. Cf. ܕܡܝܢܐ.

ܕܡܟ Pa. sopire 61, 115; II 504 d.

ܕܡܟܘܬܐ somnolentia II 505 a. d. 506 d. e. III 199 e. 264 b. 332 d. 346 e.

ܕܢܚ Part. pass. etiam ܕܢܝܚܐ 43, 217; II 462 c, sed alias ܕܢܝܚܐ 50, 104 etc.

ܕܥܟ Part. pass. ܕܥܝܟܐ 50, 66. 74.

94; III 252 b. — Ethpa. exstingui II 354 c.
ܕܥܨ Pe. infigere 39, 58.
ܕܥܐ Pe. sudare II 392 b.
ܕܠܦ Pe. abluere III 89 c.
ܕܩܢܢܐ barbatus II 457 f.
ܕܪܝܐ ventilatio 7, 12. 13.
ܕܪܓ Pa. gradatim disponere III 588 f.
ܕܪܓ ܡܢ ܕܪܓ gradatim 41, 98.
ܕܪܘܫܐܝܬ disputatorie II 527 f.
ܕܫܐ Aph. occultare 30, 60.

ܗ

ܗܒܒ Pa. florere 48, 28; 65, 72; II 497 e. 532 b. III 203 d. 333 c. 384 d.
ܗܓܝܓܐ meditatio III 108 b. 202 c. 203 c.
ܗܕ pro ܗܕܐ III 80 c. 407 e. 590 b.
ܐܗܕ Ethpa. duci, moneri III 279 a. b.
ܗܕܝܐ ut videtur, deliratio III 159 b.
ܗܕܝܢܐ pro ܗܕܝܐ idem 55, 93; 69 in inscript.
ܗܕܝܘܛ incognitus 18, 55.
ܗܕܝܘܛܘܬܐ inscitia III 199 c. 451 b.
ܗܕܝܘܛܐܝܬ imperite 61, 93; II 466 c.
ܗܓܐ sequ. ܒ, Pe. studere, cogitare de aliqua re III 57 f. 478 d.
ܗܢܘܢ pro ܗܘܢܘܢ, metro poscente restituendum est 31, 204. 205; 33, 28; III 326 b.
ܗܘܬܐ Plur. ܗܘܝܬܐ, non ܗܘܐ 67, 51.

ܗܝܕܝܟ antea III 189 d.
ܐܬܗܘܢ resipiscere, commemoratur a Baralio, et invenitur III 190 e.
ܗܘܒܐ eradiatio (solis) II 433 c, impetus II 474 e.
ܗܘܦܟܐ pro ܗܦܟܐ 33, 2; II 469 b. III 163 c.
ܗܠ Ethpa. derideri III 205 e.
ܗܘܠܠܐ laudatio, cantatio 31, 220; 41, 60; II 435 c. III 41 f. 258 a. 261 c. 335 d. 413 f. 421 a. 463 a. 490 d. 504 f. 595 f.
ܗܠܟܐ ambulans II 461 a. III 109 d.
ܗܡܘܢ Femin. significat Haden II 393 e. 394 c. III 295 d, fortasse proprie congregationen mortuorum, cf. hebr. הָמוֹן.
ܗܡܣ sequ. ܒ hostiliter aliquem petere, in aliquem irruere 34, 25; II 438 c. 515 e. f; bono sensu ad aliquem venire 42, 52. 58. 60; II 426 c, alicujus meminisse III 419 f.
ܗܡܣܬܐ studium disceptandi III 81 d.
ܗܡܣܢܐ idem III 111 e. 116 e. 155 f.
ܗܢܐ Pa. dilectum, suave esse III 674 f.
ܗܢܝܘܬܐ voluptas III 172 d.
ܗܢܝܘܟܐ ἡνίοχος, auriga III 376 e.
ܗܦܝܟܐ seu ܗܦܘܟܐ perversus 41, 39; 45, 113; 60, 69; II 521 f. 536 d. 355 f. III 124 d. 360 b. 405 e; alternans III 407 a.
ܗܦܟܝܐ contrarius III 201 a. 366 a.

ܗܦܝܟܐ perversus II 414 b. c. III 173 f.

ܗܦܟܦܟܐ perversus, inconstans II 456 f. 468 b. 477 f.

ܗܘܪܡܝܣ ܪܓܐ II 467 b. Hermes pluvius, idolum a sacrificulis Baali cultum.

ܘ

ܘܠܓܫ semper pronuntiandum est pro ܘܠܓܫ 17, 108; 19, 157; 21, 18. 204. Est graecum Οὐολόγαισος (in nummis Arsacidarum Βολαγασος aut Οὐολογασος), lat. Vologêses, pers. بلاش. — Etymologia quaerenda videtur a zendico vara *eligendus*, *optimus* et gaêshu *hasta*, ita, ut significet *optimis hastis praeditum*, aut, cum gaeshu etiam ipsum heroa hasta praeditum denotet, *heroa praestantissimum*. Quae derivatio, si vera est, confirmat ea, quae de scriptione et significatione vocis gaeshu protuli in Kuhnii ztschr. für vergleichende sprachforschung XII, 438.

ܘܟܪܐ ecclesia 17, 26. Vix potest esse status absolutus verbi ܘܟܪܬܐ, sed potius error scribae.

ܘܠܕܐ refugium, asylum III 581 f; terminus vitae, mors II 345 b.

ܙ

ܙܒܘܢܐ emtor II 349 c. III 684 c.

ܡܙܒܢܢܐ venditor III 684 c.

ܙܒܢܘܬܐ venditio III 662 e. 663 e.

ܙܚܪ Ethpe. coerceri, cohiberi 39, 193; II 463 b.

ܙܕܩ Ethpa. adjudicari 48, 9; III 248 f.

ܙܕܝܩܐܝܬ juste III 519 c.

ܙܗܐ Pa. illustrare, illuminare 19, 25; III 496 e. 592 f.

ܙܗܪ Pa. sequ. ܡܢ monere de aliqua re 46, 106.

ܙܘܓ Aph. aggregare, adjungere 19, 95.

ܙܚ Pe. efferi 36, 224; III 356 c.

ܙܢܘܢܐ alens II 518 a. 524 b.

ܙܥܘܪܐ turbator 56, 89.

ܙܘܒ Pe. desiderare, ut videtur III 609 a.

ܙܝܦܢܐܝܬ fraudulenter III 163 c.

ܙܡܪ Pe. magicas artes exercere 9, 58.

ܙܡܪܬܐ divinatio, hariolatio II 464 d.

ܙܠ Pe. proprie adhibetur de lance librae leviori ideoque ascendente, unde derivanda est significatio deficiendi, cf. 1, 142; 2, 129; III 677 e. — Pa. conviciari III 586 a. — Ethpa. commoveri II 417 d. Part. inordinatus 75, 112. — Aph. levem facere 6, 149.

ܙܠܝܠܐ exiguus, despectus 17, 66.

ܙܠܚ Pe. Fut. U, III 381 a. 411 d. e. — Ethpe. aspergi III 21 d.

ܙܡܡܐ frenum II 546 e. III 208 d.

ܙܡܝܢܐ invitatus 43, 227; 70, 37; III 25 f. 29 e. 426 d. 589 d. 597 b.

ܙܘܡܪܐ cantus II 331 f.

ܡܙܡܪܢܐ cantor III 375 b.

ܙܢܦ Fut. U rejicere III 523 b.

ܙܥܙܥ movere, excitare II 460 f.

ܙܘܥܙܥܐ agitatio, tumultus III 226 e.

ܐܙܕܥܙܦ commoveri, labefactari 70, 21. Fortasse ܐܙܕܥܙܥ emendandum est.

ܙܘܥܩܐ accusatio II 455 c.

ܙܥܘܪܐܝܬ paululum III 58 e.

ܙܦܪ Pe. foetere 67, 67; II 408 d.

ܙܦܪܘܬܐ foetor II 336 a.

ܙܩܦ videtur error scribae pro ܣܩܦ 29, 36.

ܙܩܝܦܘܬܐ crucifixio 60, 124.

ܙܩܬ Pe. pungere II 464 f. 503 f. III 37 f.

ܙܘܪܩܐ massa II 383 d.

ܙܪܝܙܐ potens, dominans 74, 32.

ܙܪܦ Ethpe. dissipari 29, 181; II 481 d.

ܚ

ܚܘܒܒܐ complexus II 346 e.

ܚܘܒܒܐܝܬ amanter II 402 c. 483 d.

ܚܒܠܐ perniciosus 1, 135. 145.

ܚܒܩ Fut. U, se intrudere, ingerere 14, 152; 60, 27; III 426 e. 427 d. Semper conjunctum invenitur cum verbo ܥܠ intrare.

ܚܒܘܪܬܐ vulnus 28, 15; II 515 c. 549 a. 550 b. III 370 c. e. 374 b. 381 c. 383 c. 391 e. 397 c. 399 d. 414 d. 417 d. 418 a. 423 f. Cf. hebr. חַבּוּרָה.

ܚܒܫܘܫܐ pro ܚܒܫܘܫܐ 37, 140; 69, 102. 104.

ܚܒܫܐ obsessor 13, 98. 100.

ܚܒܘܫܝܐ inclusio, carcer 69, 105; II 439 e; ܚܒܘܫܝܐ II 391 a.

ܚܒܫܘܫܐ scarabaeus III 631 e.

ܚܒܬ Pe. fortasse occurrit 39, 205 ܡܢܐ ܚܒܬ ܠܗ *cur ei malum est* (seu *videtur*) *ira?* Tum radix conferenda est cum خَبُثَ conj. I malum esse, IV corrumpere.

ܚܓܪ Pa. pedes demere, claudum, immobilem reddere II 463 b. 472 b. 535 b. c. e. — Ethpa. pedes amittere II 482 d. — ܚܓܝܪ pedibus carens 68, 66.

ܚܕ ܟܡܐ ܡܬܠܡ III 365 a, et ܚܕ ܟܡܐ 77, 5 (cf. 2 Cor. 3, 9) quanto magis. Magis completa et perspicua est phrasis chaldaica על אחת כמה וכמה, cf. Tr. Succa fol. 53 a, Targ. Hier. Num. 22, 30; Deut. 31, 27, quae vertenda est *super unicum quoties*, id est *quoties magis*. Nam ܥܠ relationem numeri ad alterum denotat, plane ac francogallicum sur; *unicum* autem est

praecedens argumentum a minori, quo sequens conclusio *multoties* firmior est.

ܚܕܪ Pe. cavere, revereri aliquem, sequ. ܡܢ 29, 72; 35, 164; 63, 53; circumire, sequ. ܠ III 444 e.

ܡܚܘܙܐ terra, urbs, platea II 489 e (cf. chald. מָחוֹז).

ܚܕܘܬܐ hilaritas III 46 d.

ܚܡ marcescere, liquefieri III 338 e.

ܕܚܣ ܡܪܘܡ quod absit! III 95 e. — ܕܚܣܘܬܐ ܬܗܘܐ idem III 98 f. 114 c.

ܚܫ Pe. sentire, intelligere, animadvertere 43, 133. Cf. rabb. חוּשׁ sensus, ar. حَاسَ, conj. V (dolorem) percipere, حَسَّ sentire.

ܚܙܘܝܐ spectator III 376 e.

ܚܕܘܪܐ peregrinator III 272 e.

ܚܪܬܐ sulcus III 321 c. Cf. Job 31, 38; 39, 10 hex.

ܚܝܒܘܬܐ status peccati 45, 174; III 382 e.

ܚܝܝ vive 76, 54 (cf. psalm. 123, 3).

ܚܝܘܬܐ vita, significatio frequentissima, cf. 35, 79; 43, 147; 44, 24; 45, 61. 138. 143; 46, 172; 47, 25; 48, 67; 49, 28; 50, 8; 76, 74; II 316 e. 327 b; III 225 d. 282 d. 321 c. 587 c. 598 d; ens vivum, creatura, homo 20, 51.

ܐܚܬܢ affinitate conjungi 27, 103. 112, proprie constringi Prov. 5, 22 hex.

ܚܬܢܘܬܐ affinitas 27, 96. 101. 106.

ܚܠܐ spelunca II 551 d.

ܚܟܡ Ethpe. erudiri, moneri 2, 171.

ܚܟܡܘܬ Achamoth Valentini et Bardesanis II 444 c. d.

ܚܠ Ethpa. purificari, evacuari 30, 91.

ܚܘܠܠܐ purificatio II 515 b.

ܚܠܘܠܐ rima, fovea III 317 e.

ܚܠܝܠܬܐ commentum II 455 c.

ܚܘܠܕܐ talpam esse (quod negavit Michaelis) probat II 452 c.

ܚܘܠܡܢܐ sanitas 5, 133; 11, 36.

ܚܠܝܡܐܝܬ sane, incolume II 453 c. III 201 f.

ܕܒܚܠܡܢܐ idem significat ac ܚܠܡ pro 5, 98; 67, 43.

ܚܘܠܡܢܐ cum suffixis, idem 7, 50; 56, 22; III 361 b. (ubi ܚܘܠܡܢܗ legendum est).

ܚܠܨ Pe. expugnare II 520 d. — Ethpa. spoliari II 484 f.

ܚܘܠܨܐ spoliatio II 423 b.

ܚܠܝܨܘܬܐ spolium III 323 b.

ܚܠܩܐ fatum 72, 106 et saepius.

ܚܠܫܐ nuspiam debilem significare contendit Michaelis. Sed saepe invenitur haec significatio, cf. 41, 79; 51, 43; 52, 37; 54, 75; 56, 74; II 404 b. 531 f. Praeterea denotat vilem, contemnendum 19, 92; 44, 48; 63, 69; 64, 1; 65, 60; 72, 73; II 483 b,

et miserum 10, 43; 26, 33. — Magos seu incantatores significat 28, 14, et alternat cum ܚܪ̈ܫܐ v. 54. Recte igitur Bar Ali explicat vocem ܚܠܫܐ per ܐܪܡ̈ܝܐ *gentilis*, nec ad stipulandum est Michaeli, qui illud in ܐܪܡܝܐ mutare voluit. Puto autem, ܚܠܫܐ in hoc sensu corruptum esse ex ܚܪܫܐ, ut incantatoribus per lusum verbi nota debilitatis et contemtibilitatis inureretur. Similiter בַּעַל זְבוּב dominus muscarum pro בַּעַל זְבוּל dominus coelestis habitationis, Συχαρ mendacium pro שְׁכֶם.

ܚܡܣ Pe. pro ܚܡܨ 48, 31.

ܚܡܫ Ethpa. colligi III 238 b.

ܚܡܝܣܢܘܬܐ patientia III 353 e.

ܚܡܪܐ vinum 74, 102; II 409 d. III 125 c. B. O. I, 226.

ܚܡܝܛܐ rancidus II 478 b.

ܚܢܛ aromatibus condere, balsamare II 541 c.

ܚܢܦ Aph. paganum fieri, apostatam esse 18, 71; II 530 d. III 154 e. — Pa. ad idololatriam seducere II 451 a.

ܐܬܚܬܚܬ summo studio aliquid appetere II 491 c.

ܚܢܝܩܘܬܐ suffocatio 1, 67.

ܚܢܩܬܐ strangulatio 61, 24.

ܡܚܣܝܢܐ propitiator III 468 c.

ܚܣܕ Ethpe. contumelia affici III 39 e.

ܚܣܢ Ethpe. liberari, salvari 2, 64.

ܚܣܠ generatim dedocere, a consuetudine abducere 15, 78; II 472 d. III 4 f. 362 b.

ܚܣܢܐ avaritia, proprie retinendi cupido III 362 a; ablactatio III 617 f.

ܚܦܐ Ethpa. operiri, obrui 27, 16; II 459 c. III 181 c. 246 e.

ܚܦܛ sequ. ܠ alicui rei operam navare III 324 b.

ܚܦܝܛܘܬܐ sollicitudo 76, 86; II 457 d.

ܚܨܐ etiam superficies maris 1, 48; III 15 d. 43 f. 563 e; ܪܟܒ ܚܨܐ mare navibus adire 1, 48; III 625 a.

ܚܨܒܐ urceus III 663 a.

ܚܨܦ Fut. A, Pe. procacem esse III 31 e. 106 e. — Aph. idem 40, 99; III 364 b. — Ethpa. idem 60, 27; III 193 d. 597 d. — Pa. Part. pass. sollicitus III 328 b. c.

ܚܨܝܦܐ bono sensu affabilis, benignus II 425 d.

ܚܘܩܐ versus III 574 c. d, proprie punctum, quo finis versus notatur, a radice חקק impungere, infigere.

ܚܪܘܪܐ liberator II 517 b.

ܚܪܘܒܐ ܕܚܩܠܐ labrusca III 238 c.

ܚܪܘܒܐ significat non solum siliquas, sed etiam labruscas 43, 34, cf. Jes. 5, 2. 4.

ܚܪܝܢܐ II 442 d, et ܚܪܝܢܐ II 454 e. III 620 a. c, litigiosus.

ܐܬܚܪܪ aduri II 376 f.

ܚܪܦ sollicitare II 440 a.

ܚܪܡ Pe. abesse, interdictum, illicitum esse 72, 103 ܗܝ ܕܚܪܡ ܕܢܡܠܠ *quod nobis loqui non fas est* (seu *quod absit!*) Cod. C habet ܚܣ.

ܚܪܝܦܐ conviva 70, 36; III 26 a et saepius, cf. arab. حريف socius.

ܚܪܡ Fut. U determinare II 341 d.

ܚܪܡܐ terminus II 341 e.

ܚܪܫ Pa. mutum facere, jugulare, interficere 72, 28 (in cod. C ܩܛܠ); II 528 c. 529 f. — Ethpa. jugulari 72, 26 (in cod. C. ܐܬܢܟܣ). — Aph. artes magicas exercere III 667 b.

ܚܪܫ Part. Aph. ܡܚܪܫ II 351 b. 354 c.

ܚܫܝܫܐ dolorosus III 259 d.

ܚܣܡܐ zelus III 238 b.

ܡܚܫܢܘܬܐ passio, ira II 438 b.

ܚܫܟ med. A, Pe. transitive obscurare II 472 e.

ܚܫܝܚܐ pulcher II 327 e.

ܚܬܬ incitare III 483 e. — ܐܬܚܬܬ ad concupiscentiam moveri, concupiscere 35, 51; II 368 b.

ܚܬܝܡܐ mutus 71, 116, quamquam hic per lusum verbi simul etiam sigillo occlusum significat.

ܚܬܡܐ, non ܚܬܡܐ, sigillum 73, 56.

ܚܬܪܘܬܐ superbia II 414 a.

ܛ

ܛܡܝܪܐ dormiens 49, 173; humi depressus II 527 c.

ܛܡܝܪ Pa. Part. pass. somno immersus III 109 c.

ܛܡܪܘܬܐ somnolentia 2, 191; 65, 37; II 400 c. 405 c.

ܛܒ Pe. pro usitata forma ܛܐܒ (cf. hebr. טוֹב, طَابَ) 45, 150.

ܛܒܬܐ speciatim de fructibus 6, 58; 47, 61; II 466 f; similiter in hebraico Gen. 45, 23).

ܗܘܝ ܛܒܝ *felicitates meae erant*, id est *bene*, *gratulandum mihi erat* 35, 52; 39, 26. 54. 104. Sed quia semper verbum in singulari sequitur, fortasse melius legendum est ܛܘܒܝ *fortunatum erat*, quamquam vox ܛܘܒܬܐ alias non occurrit.

ܛܘܪܐ de loco quoque adhibetur in sensu parvae remotionis III 167 a. b. ܠܛܘܪܐ etiam pro πόῤῥω et μακράν ponitur, cf. Middeldorpff codex syriacohexaplaris, pag. 485.

ܛܝܡܐ pretium II 349 b. c.

ܡܛܠܝܐ pro ܡܛܠܝܐ II 459 c. III 563 d. 378 a.

ܛܠܐ Pa. juvenem reddere III 583 a. — Ethpa. juvenescere III 583 b.

ܛܠܡ Pe. sequ. accus. alicui meritam gratiam non referre, praemium denegare 6, 68; 66, 20; 71, 22; 72, 17. 20. 24. 31. 43. 51. 72; 73, 79; II 468 c. III 264 c. 266 e. 289 f. 332 d. Fut. habet U, sed videtur etiam Fut. A exsistere, cf. 49, 64 in Cod. B. — Ethpe. praemio fraudari 49, 64; 73, 7; 46, 12.

ܛܠܘܡܝܘܬܐ oppressio, injuria accepta 12, 14; 47, 14; 51, 59; III 348 a. 360 e.

ܛܠܘܡܘܬܐ calumnia, ingratitudo 40, 22; II 523 f. III 30 a.

ܛܘܠܩܐ destructio, interitus 56, 16; III 1 c. 49 c; plenilunium II 439 b.

ܛܠܝܩܐ sollers 41, 64; 72, 60.

ܛܠܫ Pa. inficere, polluere III 163 a.

ܛܡܝܪܐ occlusus II 344 a.

ܛܡܝܪܘܬܐ pro ܛܡܝܪܘܬܐ 9, 43; 32, 46; 49, 182.

ܛܢܦ Pe. inquinatum, peccatorem esse II 478 e.

ܛܥܝܡܐ suavem saporem habens III 577 f.

ܛܥܘܡܬܐ esca 14, 95; III 590 e. 591 c.

ܛܥܡܐ sapientia, intelligentia 35, 163; 62, 29; III 26 d.

ܛܥܝܡܘܬܐ maturitas 15, 49. 75 (in Cod. B ܛܥܝܡܘܬܐ); III 203 f.

ܛܥܡܬܐ sapor, sensus III 361 e. 363 a. 567 d.

ܛܥܢܬܐ proventus fructuum (erträgnis) 29, 116.

ܐܬܛܪܛܦ sonare, strepere III 565 f.

ܛܪܩ Pa. includere II 390 c; cum ܘܝ alicui vae injungere II 352 a. 356 b.

ܛܪܦ Fut. U 43, 85; II 509 d. III 524 c, sed Fut. A III 244 c. 247 b. — Cod. B habet ܛܪܘܦ in Praet. Pe. 35, 38, formam med. U, quae alias nonnisi in verbo ܢܦܘܩ invenitur.

ܛܪܐ Pe. impellere, allidere, sequ. ܠ aut ܒ, 70, 20; III 192 e.

ܐܝܟ ܡܪܦܦ ܬܪܦܐ ܕܥܝܢܐ *sicut commotio palpebrarum*, per momentum temporis (einen augenblick) III 242 f. 245 b.

ܛܪܩܠܝܢܐ triclinium III 323 c.

ܛܦ Pe. pro ܐܦ II 350 b.

ܝ

ܝܐܒ Pe. Part. act. desiderans III 565 e. — Ethpa. ܐܬܝܐܒ II 399 d. 400 a.

ܝܒܒ Pa. certiorem facere II 525 b.

ܝܗܒ pro ܗܒ 1, 30; 16, 102; 17, 35; 21, 151; 42, 106; 58, 41; 63, 55; 66, 7; 70, 89; 72, 4.

ܝܙܦܐ mutuum accipiens 49, 72 (in cod. B ܝܙܘܦܐ).

ܝܚܝܕܐܝܬ solitarie III 29 a.

ܝܚܝܕܝܘܬܐ solitudo III 266 e.

ܝܠܘܦܐ discipulus, docilis III 74 d.

191 f. 195 c. e. f. 198 f. 201 e. 202 d. e.

ܬܘܣܦܬܐ additamentum, incrementum III 409 d. f.

ܝܘܙܐ vultur II 469 c.

ܐܬܝܠܥ edacem esse 49, 163; 71, 98; III 591 f.

ܬܘܠܐ finis II 341 f.

ܝܨܦ Pa. curare, quaerere II 360 b.

ܝܨܝܦܐ anxie curans II 400 e.

ܝܨܝܦܐܝܬ provide II 427 d.

ܝܩܝܪܐ surdaster, tardus captu 52, 65; 62, 51.

ܝܐܪܐ rivus, flumen III 63 d. 64 a.

ܝܘܪܩܢܐ pallor II 438 f.

ܝܪܘܬܘܬܐ haereditas II 334 f.

ܐܬܝܫܛ porrigi III 365 a. 584 b.

ܝܬ nota accusativi III 422 f.

ܡܝܩܪܐ gravis, modestus, venerandus (gesetzt) III 602 e.

ܝܬܡܘܬܐ orbitas III 283 b.

ܟ

ܟܐ Ethpa. increpari, objurgari 75, 56 (ubi exstat insolita forma Futuri ܬܬܟܝܐ pro ܬܬܟܐܐ). — Pa. increpare II 530 d.

ܟܐܪ reprehendere, accusare, pudefacere II 463 c. f. 473 f. 474 b. 531 f. 539 e. III 60 c. 61 c. 86 a. 115 b. 206 b. — Ethpa. pudefieri ܐܬܟܐܪ III 206 b, et ܐܬܟܪ 9, 62; 16, 8; 49, 68; 63, 39; III 179 d.

ܟܐܒ Aph. laedere II 432 c.

ܐܟܡܪ pro ܟܡܪ 15, 2; 29, 55; 30, 58; 61, 9; 64, 30; II 445 e.

ܟܡܢ Pe. sequ. ܠ, aliquid custodire aut retinere, praesertim avare, abscondere, occultare studere 17, 111; 35, 40; 36, 27; 43, 169. 172. 173; 50, 7; 52, 91; 71, 54; 74, 30; II 460 f. 462 f. 463 d. 514 a. 522 c. III 29 b. 36 d. 373 f. 462 b. 664 d. 665 d.

ܟܘܡܪܐ aestus, incensio III 595 f.

ܟܡܫ Pe. Part. poel quiescere, desistere 3, 20.

ܟܡܝܪܐ pudor III 323 c.

ܟܘܚܠܐ stibium, ar. كُحْل III 668 c.

ܟܘܟܒܬܐ Venus planeta II 458 a. 532 d.

ܟܡܢ II 434 d. III 31 e. 32 d. 36 falsam puto editoris punctationem, cui ubique substituenda est radix ܟܡܢ, cf. supra.

ܟܡܝܢܐ insidians, excubans III 280 a.

ܟܡܐ Pe. prorsus convenit cum rad. ܟܡܢ, II 448 c.

ܟܡܗ excoecare II 474 f.

ܟܡܪ Aph. contristare 1, 56; 10, 76; 37, 53; 39, 85; 49, 106; 76, 115; III 251 e. — ܟܡܝܪܐ atratus, niger 69, 37 (cf. hebr. Thr. Jer. 5, 10).

ܟܘܢܢܘܬܐ opificium II 385 f

ܟܢܐ Aph. idem ac ܐܩܝܡ stabilire, firmare, restituere 26, 4.

ܟܠܪ Pe. Part. pass. sanatus 26, 4. — Pa. medicare, sanare 34, 23. 101.

ܟܢܫܐܝܬ conjunctim, simul III 519 c. d.

ܟܣܐ 6, 142, 144, sed ܟܣ̈ܐ III 144 c. 594 d. 604 a. b. c. d. Significat proprie et etymologice tempus inter plenilunium et interlunium, quo luna sensim obtegitur. Itaque ܟܣ̈ܐ ܡܟܣܝܐ III 144 c ea hujus temporis pars est, qua luna adhuc plena est. Saepe vero ܟܣܐ etiam sine addito ܡܟܣܝܐ hanc arctiorem plenilunii significationem habet.

ܟܦ Pa. incurvare III 295 a. 319 d.

ܟܦܐ lanx librae II 456 f.

ܟܦܐ Pe. subvertere 30, 111. 113; 75, 44; II 450 a. — Ethpe. subverti 30, 106.

ܟܦܢ Ethpa. famelicum esse 71, 97.

ܟܦܢܘܬܐ fames 29, 186; 49, 50; II 406 f. III 168 a. 581 f. 597 c. 454 c.

ܟܦܪ Aph. efficere, ut aliquis officium suum recuset, de pedibus 77, 38.

ܟܦܝܪܐ maledictus 57, 19; sequ. ܒ abrenuntiatum est alicui 68, 22; III 512 e.

ܟܘܦܪܢܐ abnegatio III 434 e. 436 a.

ܟܪܐ Pa. contristare III 313 c, nisi forte Aph. legendum est. (Etiam ܐܟܪܝܬܗ III 572 d mutandum videtur in ܐܟܪܝܘܬܗ). — Pe. brevem, decurtatum esse III 359 b.

ܟܪܝܐ Plur. ܟܪ̈ܘܝܬܐ frumentum 26, 7; III 69 c. 162 f; cumulus 36, 151; 71, 63, praesertim frumenti II 503 a. b. III 125 c.

ܟܪܗ Aph. aegrotum reddere 39, 196.

ܟܘܪܟܐ ambages, circuitus 62, 70.

ܟܪܡܝܐ modestus III 159 a (proprie pudoris rubore suffusus; derivandum est a voce sequente, nec cognatum videtur cum arab. كريم).

ܟܘܪܡܐ rubor II 457 a. b, et generatim color II 521 b. Convenit chaldaicum אַכְרוּם, כְּרוּם fuligo, pudoris rubor. Michaelis verbum syriacum derivat a pers. کرم. Obstare quidem videtur, quod کرم, sanscrit. कृमि vermem significat, non colorem coccineum, qui कृमिज, kermes (e verme ortus) nominatur. Sed etymologia Michaelis valde commendatur per vocem hebr. כרמיל et eo, quod aliae linguae semiticae hanc significationem non habent.

ܟܘܪܣܐ liber, volumen II 441 e, proprie quaternio, a rad. ܟܪܫ, كرش complicare. Significatio

quaternionis saepe in marginibus codicum invenitur.

ܟܢܫ Ethpa. congeri, accumulari 57, 85.

ܟܫܛ Fut. U, sagittare III 395 c.

ܟܫܪ Pe. Fut. A, rectum esse III 391 c. — Ethpa. sequ. ܒ alicui rei strenuam operam navare III 382 f. 426 c. 446 a. 529 a. 531 b.

ܟܫܝܪܘܬܐ diligentia, studium, industria III 43 f. 44 a.

ܟܫܝܪܐܝܬ sedulo III 400 e.

ܟܬܝܡܐ signatus (de grege ovium) II 526 a.

ܟܬܡ Ethpa. maculari II 532 c. III 128 c.

ܟܬܪ Pe. permanere III 566 f.

ܟܬܝܫܐ a daemonibus excruciatus III 200 d.

ܠ

ܠ quod attinet ad 54, 77.

ܠܒܟ Ethpa. coagulari II 474 a.

ܠܒܟ Aph. prehendere facere III 297 a.

ܠܒܝܕܘܬܐ 13, 48 ut videtur, taeda, fortasse λαμπρότης.

ܠܒܫ ܦܪܨܘܦܐ qui alicui similis factus est, cf. ܠܒܝܫ ܦܪܨܘܦܐ exacte similis 3, 35.

ܬܠܒܘܫܬܐ vestis III 649 e.

ܠܗܝܒ cupidus, appetens II 316 a. III 387 f. 389 e.

ܡܠܘܝܢܐ comitans III 317 b.

ܠܘܝܐ comitatus, consortium III 58 a.

ܡܠܘܝܘܬܐ conjunctio, assistentia III 44 c.

ܠܚܐ Aph. abstergere facere III 496 f. — Ethpe. abstergi III 453 a. 475 f.

ܠܛܫ Pe. Part. pass. paratus III 456 d. 464 e. — Ethpa. adaptari, concinnari 46, 110; 57, 77.

ܠܚܫ Pe. mussitare, submissa voce loqui 48, 6; III 29 a. 145 d. 151 a. 633 d, incantare II 439 c. — Ethpe. mussitari III 404 a.

ܠܚܘܫܐ incantator II 476 a.

ܠܚܘܫܬܐ incantatio II 439 c.

ܠܥܓܠ ܠܥܓܠ velociter III 397 d.

ܠܥܒ Ethpa. bono sensu delectari, gaudere III 591 b. 592 c.

ܠܥܒܐܝܬ intemperanter III 52 b.

ܠܥܓܘܬܐ balbuties III 17 d.

ܠܥܙ Ethpe. insusurrari II 343 d.

ܠܥܣ Aph. cibum praebere II 508 f.

ܠܘܥܣܐ esca, illecebra III 296 f.

ܡ

ܡܐ Plur. ܡܐܘܬܐ pro ܡܐܐܬܐ III 130 e.

ܡܓܝܓܐ insipidus 29, 121.

ܡܓܘܫܘܬܐ magia II 445 e.

ܡܓܪ Pe. Fut. A III 424 c.

ܡܓܪ Pa. pervertere 29, 120.

ܡܣܐܢܐ calceus III 323 c.

ܡܫܫ Ethpe. perscrutari 3, 14.

ܡܡܝܬܢܐ mortalis, solubilis III 38 c.

ܡܙܓ Ethpe. misceri II 405 b.

ܐܡܙܪܬܐ pumilus II 456 a.

ܡܣܟ Pa. Part. pass. debilitatus, debilis III 624 c.

ܡܗܠ (fortasse ܡܗܠ corrigendum est) timere II 380 c.

ܡܛܪ Pe. pluere 2, 194; 40, 19 (ubi Cod. B Aph. ponit).

ܡܚܐ ܟܬܬܐ ad momentum temporis, paulisper 2, 70. 141 (cf. hebr. פֶּתַע, פִּתְאֹם).

ܡܚܐ ܙܒܢܐ ad tempus, temporarius 44, 83; 72, 91.

ܡܚܐ ܝܘܡܐ per diem III 50 f.

ܡܚܐ, non ܡܚܐ legendum est 1, 13. 38. 99.

ܡܠܟ Pe. studere, sequ. ܒ, II 439 b.

ܡܠܟܐ III 129 b. Bernstein (ZDMG IV, 311) omnino hoc verbum rejecit, eique substituere voluit ܡܫܟܠܐ funditores. Sed hanc correcturam metrum non admittit, nec verum est, quod contendit Bernstein, versiònem latinam vocem per *jaculantes* reddere. Benedictus et Hahn putaverunt eam *coecum* significare, quod tamen ex ܡܠܟܐ *albugo* et ܡܠܟܐ *lema oculorum* concludi non posse videtur. Fortasse convenit arab. مِلْغ vilis, stultus, مَالِغ nequam.

ܡܝܢܬܐ mentha 20; 14.

ܡܢ sine 62, 92. — ܡܢܗ ܘܒܗ secundum Merx (Bardesanes p. 63) significat *ex hoc et per hoc sequitur.* Sed non recte vertit locum II 554 e, et particulam ܐܘ contra metrum et sensum textui addidit. Mihi vertendum videtur: (Non vident haeretici), *si doceatur, unicum omnibus substantiis nomen esse, eo ipso etiam naturam earum eandem esse debere; eo ipso autem, quod unica sit natura principio carens, unicam quoque tantum esse posse substantiam, cui hoc nomen omnino et re et nomine soli competat.*

ܡܢ negationem exprimit 11, 8; 27, 49; 31, 84.

ܡܢܘ ܘܕܡܢܘ quis et cujus sit 19, 127; 20, 7; cf. II 506 c. III 45 c.

ܡܢܐ Pa. tribuere 16, 70.

ܡܣܬܐ coagulum, fermentum II 401 e. 404 a.

ܡܣܟܢܐܝܬ paupere II 432 e.

ܡܣܪ Pe. contemnere, spernere II 515 f, tradere, docere (sequ. acc. pers.) III 115 e.

ܡܨܐ verbum auxiliare. Pe. ܡܨܐ ܘܩܡ II 520 b. inter duo in medio constitutum esse; idem III 562 c. (ubi ܡܨܥܬܐ legendum

est) sequ. ܠ — ܦܠܓܘܬ. — Pa. ܡܨܥ ܦܠܓ in medio collocare III 169 e. ܦܠܓ ܡܢܗ dimidia ex parte fraudare 31, 91. ܦܠܓ ܦܠܓ dimidiare, dividere 5, 16.

ܡܪܝܪܘܬܐ amaritudo III 124 c.

ܡܪܪ Pa. amarum reddere III 361 d.

ܡܪܕ Pe. Part. pass. resistens 60, 115. — Aph. desciscere facere ab aliquo, sequ. ܡܢ II 459 e. f. III 584 a.

ܡܪܥܘܬܐ aegritudo III 381 a.

ܡܪܘܩ Fut. U III 447 e. — Ethpe. abstergi, purgari, expoliri 30, 90; III 584 a.

ܡܫܚ Pe. Part. pass. mensus, definitus III 566 c.

ܡܫܚܐ oleum III 125 c. 574 f. 589 e.

ܡܬܠ Pe. comparare II 558 d. III 119 e. 516 c. 544 e.

ܡܬܝܢܐ lenis 19, 95; de vino veteri 29, 136. 140; otiosus III 56 b; iners, piger II 319 b. 499 f.

ܢ

ܢܒܥ Pe. scaturire, prorumpere 35, 37; 71, 114; III 10 a. 116 e. 594 e. 621 e.

ܢܒܗ idem ac ܢܒܥ 2, 30; 47, 72 (ubi in cod. B ܢܒܛ); 62, 89; II 468 b. 502 f. III 417 f.

ܢܦܫܬܐ tumba III 328 b.

ܢܒܪܫܬܐ flamma III 430 b, ܐܢܒܪܫܬܐ cf. chald. נִבְרְשְׁתָּא, rabb. נִבְרְשָׁם. Cf. Middeldorpf l. c. p. 505. 601. Bernstein inepte vocem derivat a נְבַר et אֵשׁ; mihi originis indogermanicae esse videtur, cum radice sanscrita bhrâǵ, bhrêǵ lucere, splendere comparanda.

ܢܒܛ Pe. oriri, prorumpere, in solo Codice B 47, 72.

ܢܓܕ Pe. adducere 35, 227.

ܢܓܡ Pe. de fermento farinam permeante et attrahente 9, 45; II 434 f. — Ethpe. coagulari, coalescere per fermentum III 44 e. — Ethpa. redargui, persuaderi III 145 d.

ܢܓܗ Aph. liberare III 425 d. (sed fortasse melius ܢܓܗܘܢ a rad. ܢܓܗ legendum est).

ܢܓܝܪܐ diu protractus, diuturnus 10, 69; clemens, misericors (longanimis) 10, 70.

ܢܓܪܘܬܐ ars fabri lignarii III 33 d.

ܢܕ Ethpe. detestari 28, 61; 70, 77. — Aph. nauseam movere 76, 10.

ܢܘܕܢܐ terrae motus II 459 c.

ܢܘܕ Pe. movere II 395 a.

ܢܘܚܐ ܢܦܫ (pro ܢܝܚܐ) recreatio spiritus III 203 a.

ܢܚܝܦܐ macer III 168 c.

ܢܚܐ momentum, ut videtur, aut temporis defluxus II 439 a.

ܢܘܚܡܬܐ resurrectio 45, 33; 46, 149.

ܢܚܬ Pa. humiliare 9, 48.

ܢܚܫܝܪܐ venatio 36, 109; II 371 b. Vox est pehlvica נחשיר, cf. Vendid. 18, 131 (Spiegel p. 207, l. 5 ab imo), Bundehesh p. 35, l. 2, et p. 36, l. 1, ed. Westergaard), pers. نخچیر.

ܡܚܬܬܐ descensus 62, 117.

ܢܛܦ Pe. stillare, tabescere II 550 a. — Aph. instillare, superfundere III 440 c. 442 e.

ܢܘܛܦܬܐ stillicidium, stilla 55, 101; II 405 f. 546 f. 317 b. III 614 d, ܢܘܛܦ̈ܬܐ III 439 c. 440 c.

ܢܛܘܪܘܬܐ vices gerens II 397 c.

ܢܘܛܪܐ praeservatio 19, 104; asservatio 44, 22. 85.

ܢܛܪܐ custodia 3, 66.

ܡܢܟܦܢܐ offensor II 386 c.

ܢܟܘܠܐ fraudator 21, 57; II 328 a. 491 f.

ܢܟܝܠܐܝܬ fraudulenter II 511 b.

ܢܟܦ Pe. imperson. ܢܟܦܐ ܠܝ pudet me 61, 23. 93; 62, 13. — Pa. modestum facere III 20 f. 272 e. 276 e.

ܢܟܦܐܝܬ sancte III 260 e. 272 c.

ܢܟܪ Pa. non agnoscere, renuntiare II 551 d. III 308 d. — Aph. idem II 551 d.

ܢܟܝܪ Part. Pass. differens ab aliquo, sequ. ܡܢ III 117 b. — ܐܬܢܟܪ differre ab aliquo 15, 65; III 116 f, animo alienari, desciscere III 368 f. 371 c. 522 f.

ܢܘܟܬܐ morsus II 397 f.

ܢܣܝܣܐ aegrotus, infirmus, de oculis 27, 40. Cf. ZDMG XVIII, 655.

ܢܣܝܣܘܬܐ (seu ܢܣܝܣܘܬܐ) infirmitas II 549 c. III 185 f.

ܡܢܣܝܣܐ pro ܢܣܝܣܐ III 682 d.

ܢܣܚ Pe. auferre, abstrahere II 551 c. — Ethpe. trahi 44, 119.

ܢܦܝܚܐ inflatus, elatus, superbus II 341 f. III 54 e; fortasse demortuus, qui animam exspiravit 47, 144, cf. hebr. נפח נפש.

ܢܦܚܐ spiratio III 53 d.

ܢܦܝܚܘܬܐ superbia III 643 b.

ܢܦܩ Pe. quadrare, aptatum esse alicui, ut de clavi ostium aperiente, sequ. ܠ 37, 116; 74, 70; II 548 f. 550 a. — Ethpa. minui, remittere de doloribus II 464 a.

ܢܦܝܠܐ qui cecidit, procubuit III 423 f. 447 f.

ܡܦܩܢܝܐ (ita pro ܡܦܩܢܝܐ legendum est) excretivus II 316 e.

ܡܦܩܢܐ exitus, mortalitas, pestilentia II 459 c.

ܢܦܫ Ethpe. respirare, recreari, consolationem accipere 7, 47; II 541 c. — Ethpa. idem III 470 f.

ܢܨܘܒܐ plantator III 577 e.

ܢܨܚ Aph. splendere 63, 81.

ܢܨܚܢܐ gloria (proprie gloriosum) 43, 287 (ubi in cod. C ܢܘܨܚܢܐ); 44, 46.

ܢܨܦ Pe. sibilare 40, 47; II 425 f. III 392 f.

ܢܩܘܫܐ cantus II 557 f.
ܢܩܐ Pe. cogere 2, 137; 6, 121; III 165 c.
ܢܩܝ Ethpa. purum esse, purificari III 396 c.
ܢܩܝܘܬܐ puritas III 619 e.
ܢܩܘܬܐ gutta III 71 c.
ܢܩܙ Pe. vulnerare, pungere II 346 f.
ܢܩܡ Ethpe. sequ. ܡܢ vindictam sumere ab aliquo III 524 f.
ܢܫܒ Aph. incipere, verbum auxiliare cum sequ. praeterito 18, 71.
ܢܫܡܬܐ flatus spiritûs III 589 e. f.
ܢܫܡ spirare 10, 45; II 438 a. 487 f. 469 b. 503 f.
ܢܨܦ Pa. clarum, perspicuum facere III 84 b; cum sequ. ܟܠ significat *omnino tollere* 45, 55.
ܢܨܝܦܐ purus, clarus 45, 81.
ܢܬܦ Pa. attrahere III 325 e. 420 e. 472 c.
ܢܬܘܦܐ attractivus II 316 e.
ܢܬܪܐ defluxus III 81 d.

ܣ

ܣܒܗ Pa. similem esse III 602 f (cf. ar. شبه).
ܣܒܟ Fut. U, proprie se implicare in aliquem (cf. hebr. et chald. סבך, proprie שׂבך nectere, complicare, implicare, שְׂבָךְ, שְׂבָכָה cancelli, שַׂבְּכָה sambuca, ar. شبك conj. I immiscere, immissum esse, conj. II nectere, شبكة rete), itaque aliquem aggredi, invadere aut opere aut scrutatione, sequ. ܒ 6, 10; 56, 56; II 440 a. 450 b; III 32 e. 81 d. 125 f, sequ. ܠ III 164 d. 166 f. 167 d, sequ. ܥܠ III 404 c, absol. quaerere, desiderare III 44 b. 193 c; navem ad ancoras deligare 10, 88; infixum, immobilem remanere 43, 225.
ܣܓܦ Ethpa. laedi 21, 164; 57, 25; II 405 e. III 156 e.
ܣܕܪ Ethpa. disponi 21, 186.
ܣܗܪ pro ܫܗܪ forma arabizans II 334 e, quam Bernstein (l. l. pag. 309) vitium lectionis putat.
ܣܘܓܗ ܡܢ omnino 15, 95; II 488 f. 540 b. III 327 f. 387 c.
ܣܘܡ Pe. pro ܣܝܡ 41, 93.
ܣܘܡܬܐ attendere 15, 24.
ܣܡܟ Ethpa. sustentari, juvari III 27 f.
ܣܘܦ ܢܦܫܐ animam exspirare 10, 26; ita etiam simplex ܣܘܦ 60, 61.
ܣܚܝܬܐ lotio, purificatio III 666 f. 667 a.
ܣܛܪ Pa. firmare II 469 b.
ܣܝܥܘܬܐ petitio III 47 a.
ܣܝܟ Aph. III 159 f, idem ac ܐܣܝܟ, quod Bernstein (ZDMG IV, 311) veram lectionem putat. Sed radicem ܣܝܟ exstare, etiam vox ܡܣܝܟܘܬܐ docet.

ܣܟܪܝܘܛܐ Iscarioth 35, 218 in Cod. A, alias ܐܣܟܪܝܘܛܐ in Cod. A et B, ܣܟܪܝܘܛܐ in Cod. C.

ܣܡܠ ܒܓܘܢܐ exire in colorem, similem esse colori 2, 101. — ܣܡܠ ܒܓܘܢܗ accurate similem esse III 61 e.

ܣܡܐ color 17, 113; 48, 70; 69, 36; III 46 e. 157 d. 573 c. 596 e.

ܣܡܣܡܐ fungus lucernae II 335 e.

ܣܡܐ Ethpa. coecari II 452 c. III 156 e.

ܣܡܝܘܬܐ coecitas II 406 f. 523 b.

ܣܡܘܩܬܐ ascesis, continentia III 654 c.

ܣܢܐ Ethpe. odio haberi, odio dignum esse 3, 105; 27, 32.

ܣܢܝܘܬܐ odio dignum 26, 18; 27, 36.

ܣܢܝܩܘܬܐ res necessariae 13, 68. 69.

ܣܢܒ Aph. accendere 14, 59; 55, 55.

ܣܦܐ Pe. redundantem, liberalem esse 31, 72; III 125 c, colligere (ut chald. סְפָה) 74, 87.

ܣܦܩ Pe. tremere aut manus plangere III 633 f.

ܣܦܝܢܝܐ ut videtur navi vectus 46, 137.

ܣܦܣܪ licitari 7, 3; 55, 94.

ܣܦܣܪܘܬܐ inanis confabulatio II 459 d. III 666 d. e, praecipue licitantium III 662 e. f.

ܣܦܝܩܘܬܐ evacuatio III 666 c.

ܣܦܝܩܢܐ studiosus 15, 38.

ܣܦܪ Pe. expolire 76, 14; II 492 c. III 618 b.

ܣܦܪܬܐ expolitio, ornatus, decus 60, 35; 76, 58. 59.

ܣܦܝܪܘܬܐ idem III 322 f.

ܣܩܪ Ethpe. odio haberi 31, 111. — Pa. II 438 a, sed secundum Bernstein (l. l. 310) in Pe. mutandum est.

ܣܪܐ Pe. pro ܣܪܚ III 328 e. — Aph. 37, 142, sed Cod. A melius habet ܐܣܪܚ.

ܣܪܘܕܐ vaniloquus III 161 c.

ܣܪܘܕܘܬܐ loquacitas 40, 35.

ܣܪܕܘܬܐ disputatio, rixa III 131 c.

ܣܪܓ texere, implicare, Pe. Part. pass. III 401 b.

ܣܪܚ Aph. corrumpere 51, 12. — Ethpa. corrumpi II 480 f.

ܣܪܓܐ videtur significare telarium III 282 d.

ܣܪܥܦ germinare 20, 12; II 406 c. 455 f. III 674 a.

ܣܘܪܥܦܐ ramificatio, ramorum conjunctio III 588 f.

ܣܪܩܐ (non ܫܪܩܐ, ut Barbahlul praecipit) tormentum 61, 105; 72, 123.

ܣܘܪܩܐ exinanitio, paupertas voluntaria II 540 e.

ܣܬܐ Femin. vitis 5, 76; 70, 23; 75, 84; II 407 a. 417 d. 419 f. 529 c, uva III 607 c.

ܣܬܪ Pe. de vulneribus recrudescere, praesertim occulto 34, 65; II 380 c. (ubi falso ܢܣܬܪܘ pro ܢܣܬܪ). — Ethpe. occulto

morbo affici II 549 a. — Ethpa. protegi, ad protectionem refugere, sequ. ܒ personae 31, 88; 40, 37; II 399 b. III 230 b. 237 c. 385 c. 387 d. 399 a. 400 f. 431 d. 434 d. 518 f. — ܡܛܫܝܳܐ occultus II 403 e.

ܡܛܫܝܳܐܝܬ occulto II 550 a.

ܡܛܫܝܽܘܬܳܐ absconditas III 92 f.

ܥ

ܐܶܫܬܰܥܒܰܕ servum fieri III 623 a.

ܥܒܳܕ fictio, creatio 74, 12.

ܥܒܽܘܪܳܝܐ temporarius, fugitivus II 319 a.

ܥܒܽܘܪܬܳܐ femina transiens 27, 24.

ܥܳܒܶܛ jaciens III 281 a. f, mortuus II 390 c. e.

ܥܶܒܛܳܐ excidium, mors II 393 d.

ܥܓܰܠܬܳܐ ursa major II 449 a (ubi falso scriptum est ܥܓܠܬܐ).

ܥܒܺܝܳܐ videtur esse crassus, densus, ad subtilia perscrutanda non idoneus III 141 b.

ܥܕ antequam 61, 33; III 125 b. 307 e.

ܥܕܺܝܪܳܐ expurgatus II 392 f.

ܥܰܕܺܝ Pa. eripere III 301 e.

ܥܕܺܝܢܳܝܐ peregrinus III 371 a.

ܥܕܺܝܠ Pe. part. pass. reprehensione dignus 31, 149; III 160 d. — Aph. reprehendere III 504 e.

ܥܕܳܠܳܐ reprehensio II 510 b. 520 b.

ܥܰܕܶܢ Pa. jucundum facere III 593 f. — Ethpa. jucundum fieri III 593 f.

ܥܘܗܕܢܳܐ pro ܥܘܗܕܢܳܐ II 464 f. 465 d.

ܥܰܘܒܳܐ cista, marsupium 40, 59; II 541 c, sarcophagus 21, 79.

ܥܰܘܶܕ Pa. assuefacere III 320 f. Sed secundum Bernstein (l. l. 311) ܥܰܘܶܠ legendum est.

ܥܝܳܕܳܐ speciatim mala consuetudo 21, 139. 52. 54; 41, 101; II 540 f.

ܥܳܐܶܒ Pe. gemere 52, 67; 61, 100. 101.

ܥܙܰܙ Pe. invalescere II 430 b. III 133 c, sed videtur mihi falso punctatum pro ܥܙܰܙ.

ܐܶܬܥܰܘܰܩ impediri, arceri III 373 f. 378 b. 383 d. 490 a.

ܥܰܡ Aph. obscurare, obtegere III 265 f.

ܥܳܦ Aph. advolare, afflare II 394 b.

ܡܥܰܩܡܽܘܬܳܐ afflictatio III 283 f.

ܥܘܰܪ Ethpa. orbari 1, 37.

ܥܘܺܝܪܳܐ coecus II 442 d.

ܥܳܪ Pe. vigilare 61, 55.

ܥܺܝܪܽܘܬܳܐ vigilantia III 235 b. 254 b. 686 b.

ܥܙܰܙ Pe. invalescere 11, 55; 18, 48; cf. ܥܙܰܙ.

ܥܰܙܶܙ Pa. fortem esse 43, 32; 70, 15; III 154 e. 169 a; audere 54, 76; III 43 e.

ܥܛܠ stupidum esse III 123 c.
ܥܛܠܘܬܐ stultitia 10, 87; III 72 c, obstinatio II 467 f.
ܥܛܠܐܝܬ stolide vel duriter 65, 91.
ܥܛܦܐ amictus II 329 b.
ܥܝܩܐ indignatio, ira 59, 19; II 538 a. III 297 c; res, quae indignationem movet 55, 32; III 131 e.
ܥܟܢܐ de gemmis arborum 48, 37.
ܥܠܥܠ flatu dissipare III 295 e.
ܥܐܠܠ intrans II 404 f. 428 b. 550 f. III 280 a. 472 a. d. 469 e. 566 c. 597 c.
ܥܠܢܐ pastor 4, 24; 14, 2; 17, 6; 18, 21; 31, 179. 183. Ex his locis apparet, per vocem ܪܥܝܐ solum episcopum designari, per ܥܠܢܐ autem presbyteros, diaconos, ceterosque clericos. Ephraem, qui diaconus erat, se ipsum ܥܠܢܐ vocat II 560 c.
ܡܥܠܢܘܬܐ aditus III 44 e.
ܥܠܡܢܐ cur? II 450 c.
ܥܠܘܬܐ speciatim significat idolorum altaria 11, 96; 53, 123.
ܥܠܘܪܐ status vigilantis II 504 b, sed saepius ܥܠܘܪܐ 35, 123; 65, 35; II 506 a. b. d.
ܥܠܘܒܘܬܐ defraudatio, oppressio 59, 69.
ܥܠܡ Pa. juvenem reddere II 402 e. 418 f. III 262 f. 583 a.
ܥܠܥܘܠܘܬܐ ingluvies III 207 a.
ܥܡܕܐ baptismus II 500 d. III 207 c. 408 f. 437 b. 460 f. 480 c. 667 b; B. O. I, 94.
ܥܡܘܕܐ urinator (taucher) III 151 d. 153 b. 155 f. 157 c. 158 d.
ܥܡܛ Pe. Fut. A obscuratum esse 18, 91.
ܥܨܪ Ethpa. claudi 47, 62; III 137 e. 207 e. 581 d. — Aph. claudere 77, 22.
ܥܣܒܐ, non ܥܣܒܐ, gramen III 452 c.
ܥܢܝܬܐ responsorium, unde significationem cantilenae exortam puto. Vox invenitur post primum versum uniuscujusque carminis, exceptis carm. 17—21 et 53. Plura vide in prolegomenis.
ܥܫܝܢܐ sanctus II 542 e.
ܥܘܠܬܐ flagitium, peccatum III 207 a.
ܥܘܠܘܬܐ idem II 454 a.
ܥܩܒ Pe. explorare, perscrutari 21, 176.
ܥܘܩܒܐ perscrutatio II 470 b.
ܥܘܩܣܐ difficultas 67, 24; II 402 f.
ܥܩܡܘܬܐ perversitas III 427 b.
ܥܦܦ Aph. duplicare 1, 148. — Ethpa. multiplicari III 503 b.
ܥܦܐ Pa. generatim involvere, inducere, obtegere (cf. ar. غفا obtegere humum, delicta) 41, 13; II 426 e. III 363 d.
ܥܦܩ Pe. amplecti III 545 c. — Ethpa. amplexari III 602 b.

ܥܘܦܪܐ amiculus 43, 267. 276.
ܥܨܐ Ethpe. cogi II 481 f. 482 a. III 151 e.
ܥܨܒܐ vinctura (verband) 10, 79; sanatio III 467 f.
ܥܨܪ Ethpe. exprimi III 578 b.
ܥܩܡ ܐܬ convolutum esse 40, 46.
ܥܩܡܬܐ via tortuosa, flexuosa II 486 d.
ܥܘܩܡܐ injuria, fraus 31, 35.
ܥܩܪܘܬܐ sterilitas 37, 18.
ܥܪܒ Pe. spondere pro aliquo 46, 189; 48, 99; 51, 39; II 403 f. 539 b. III 122 e. 434 e. Cf. Middeldorpff l. c. p. 573. Part. pass. permixtus III 310 c.
ܥܪܕܐ columna 39, 148; 62, 48.
ܥܪܛܠܐܝܬ nude 65, 51; II 340 d.
ܥܪܡ Ethpa. astutum esse 30, 10.
ܥܪܘܥܬܐ casus, eventus II 450 b.
ܥܪܘܥܐܝܬ contingenter, fortuito, sine justa causa 2, 114; 31, 111; II 455 c. 520 c.
ܥܪܣܐ fundamenta domus III 169 a.
ܥܪܘܩܐ fugiens II 546 e.
ܥܫܩ Pe. incusare, calumniari 40, 22; 45, 98; 51, 137; 55, 13; II 416 b. 423 b. c. 477 f. 483 b. 522 b. III 361 f, operam navare III 114 c. — Pa. accusare II 520 a. — Ethpe. accusari 45, 97; II 474 a.
ܥܫܘܩܝܐ calumnia II 427 b.
ܥܫܘܩܐ oppressor, calumniator II 408 e. 422 f. 423 b. 427 a. b. 480 e. 519 c.

ܦ

ܦܐܝ Aph. pulchrum facere II 502 e.
ܦܘܕܬܐ pes (mensura) II 334 a.
ܦܓܪ Pe. expelli, de somno II 471 f.
ܦܗܐ Aph. errare, evagari facere 21, 122; 48, 124; 64, 41; II 447 e. 547 d.
ܦܘܗܝܐ aberratio, evagatio 3, 3; 55, 90; II 415 c. 471 e. 505 d. 550 f. III 81 a. 105 a. 137 b. 36 a. 131 f. 420 c. 453 c. 454 e. Cf. Middeldorpff l. c. 649.
ܦܚ Pe. fragrare 50, 78. 88; III 574 f (cf. فاح). ܦܚܬ ܠܡܦܩ festinanter egressus sum 63, 9. — Aph. spirare facere 50, 76.
ܦܘܚܐ refrigerium III 595 d.
ܡܬܦܝܣܢܐ persuasus II 473 b.
ܦܘܙܬܐ furor, ira 67, 40.
ܦܩ remotum esse ab aliquo, sequ. ܩܕܡ III 593 e.
ܦܚܝܚܐ futilis, levis 55, 17.
ܦܚܙ Aph. lascivum esse II 397 c.
ܦܛܡ Ethpa. saginari 39, 233; II 467 b. III 591 c. 592 a. c.
ܦܛܪ Pe. deesse III 589 d, solvi, finire III 434 a. 465 d. 474 f. 478 b. 513 d. — Aph. aperire (labia) sequ. ܣܦܘܬܗ II 368 c, fortasse excipere, suscipere III 589 c.
ܦܛܪܘܢܐ patronus III 660 f.
ܦܟܗ Pe. evanescere, cessare de

aromatibus III 623 e. — Pa. alicui proprium aroma aut saporem aut naturam adimere 4, 104; 74, 74; III 121 c. 597 a. — Ethpa. aboleri 21, 55. — Aph. sal demere, edulcare, lenire II 327 c.
ܦܟܝܗܘܬܐ insipiditas 15, 71.
ܦܟܠܘܠܐ inquinatio 21, 87; 32, 48; II 560 b. III 571 f.
ܦܠܐ Pe., sequ. ܡܢ purgare ab animalculis, ea exquirere II 335 b, cf. ar. فلى.
ܦܠܬܐ, non ܦܠܬܐ, 33, 21; 43, 42; 46, 31.
ܦܠܓ ܐܝܩܪܐ honorem tribuere 67, 16.
ܦܠܝܓܝ ܩܘܡܬܐ pumiliones II 455 e. 456 a.
ܦܠܝܓܐܝܬ divise II 505 e.
ܡܬܦܠܓܢܐ dividuus III 65 c.
ܦܠܚܐ cultor, adorator 9, 27.
ܦܢܐ Pe. verbum auxiliare 43, 216. — Pa. ܦܢܝ ܦܘܢܝܐ retribuere (oppos. ܐܣܒ ܦܘܢܝܐ mereri) II 456 f. III 206 b. Idem significat ܦܪܥ ܦܘܢܝܐ 2, 7; III 604 b. — Ethpa. retribui, reddi 38, 34; 62, 111; III 152 f. 177 a. 260 d.
ܦܢܝܐ sonus, clamor 4, 53.
ܡܬܦܢܝܢܘܬܐ conversio III 376 a.
ܐܦܢܝܐ prototypus II 325 a.
ܦܢܩ Pa. delectare III 590 b. 591 a.

ܦܣܝܣܐ ludus II 459 d.
ܦܣܩܢ (pers. پيسه) scribendum videtur, non ܦܣܩܢ, cf. 31, 46.
ܦܣܩܐ sectio, factio II 526 a.
ܝܘܡܐ ܕܦܣܝܩܘܬܐ, ܝܘܡ ܕܝܢܐ ܕܦܣܝܩܘܬܐ dies judicii definitivi II 349 f. III 413 f. 520 c.
ܦܥ Pe. conterere 67, 17. 20. — Ethpe. conteri II 440 a.
ܦܥܐ Pe. balare, vociferari II 407 b. 418 c. e. 424 b. 434 b.
ܦܨܚ Ethpe. laetificari II 475 f. 531 a. — Aph. renovare effigiem 69, 37.
ܦܨܝܚܐܝܬ hilariter III 563 a. d. 567 a. 582 c.
ܦܩܦܩܘܬܐ balbuties II 530 f. III 17 d.
ܦܩܘܕܐ mandans 21, 44.
ܦܩܘܕܐܝܬ mandative III 14 b.
ܦܩܘܕܘܬܐ gubernatio 19, 86; III 319 c.
ܦܩܚ Pe. florere III 117 e. — Pa. idem III 117 e. — Ethpa. utiliter admoneri III 279 b.
ܦܩܥ Pe. scindi II 548 a. 551 e.
ܦܩܪ Pa. insanire II 440 a. III 32 e. — Aph. rabiosum facere II 438 c. 478 f.
ܦܩܪܐܝܬ rabiose 56, 55.
ܦܪ Pe. fugere 4, 111, cf. ar. فرّ.
ܐܬܦܪܦܪ animam agere, in agone versari 10, 22, cf. ar. فرفر et

act. ܦܪܣܪ, de quo consulendus est Geiger in ZDMG XV, 149.

ܦܪܬܐ, non ܦܪܬܐ, agnus II 478 f.

ܦܪܝܐ progenies III 557 f.

ܦܪܘܥܝܐ exactor II 320 a.

ܦܪܨܘܢܝܬܐ scintilla III 635 c.

ܦܪܘܣܬܐ Plur. ܦܪ̈ܘܣܬܐ acta II 488 f. 526 a.

ܦܪܢܝܬܐ dos II 332 e.

ܦܪܐܐ fructus III 577 f. (fortasse legendum est ܦܐܪܐ).

ܦܪܫ Pe. prudentem esse III 427 e.

ܦܘܪܫܢܐ discretio, prudentia 13, 71; 19, 62; 21, 216; III 372 f. 470 c; discessus, mors 37, 89; II 541 b. III 226 f.

ܦܘܪ̈ܫܢܐ differentiae II 447 b.

ܦܪܝܫܘܬܐ distinctio II 505 c.

ܦܪܬ Ethpa. rumpi II 386 b.

ܦܪܬܐ granum seminale II 551 f. 552 c. d.

ܦܣܩ Pe. abscidere III 31 a. — Ethpa. abscissum esse 28, 14; III 67 f. 671 f.

ܦܫܝܩ tolerabilius, melius 6, 31; 20, 13; 35, 190.

ܦܫܝܛܐ extentus II 490 e.

ܦܫܪ Ethpa. dubitare, sequ. ܥܠ III 114 a.

ܦܬܠ Pe. Fut. A, se versare III 104 a.

ܦܫܘܪܐ solutivus II 316 e.

ܦܬܟ Pe. Fut. U miscere 17, 11.

ܦܬܟܪܬܐ idolum muliebre II 459 d. Vocem ܦܬܟܪ, a Lorsbachio (archiv für morgenl. litt. II, 324) et Bernstein falso derivatam, recte explicavit Gildemeister (zeitschr. für kunde des morgenlandes IV, 211), cui addendum, quod patikâra *idolum* revera in inscriptionibus palaeopersicis invenitur.

ܦܬܠ Ethpa. contortum esse III 78 e.

ܦܬܝܘܬܐ (apud Castellum falso ܦܬܝܘܬܐ) perversitas III 202 f.

ܦܬܩܐ chirographum impunitatis III 164 a.

ܨ

ܨܐܐ pro ܨܐܐ II 492 e.

ܨܐ pro ܨܐܐ II 501 b.

ܡܨܒܬܢܐ ornans II 540 d.

ܡܨܒܬܢܝܬܐ idem 16, 33. Radix ܨܒܬ non est originis semiticae, nec comparanda cum hebr. צֶפֶת (ut Michaelis proposuit), quia hoc a rad. צפה *obducere* derivatur. Sed ܨܒܬ est pael denominativum a ܨܒܬܐ splendor, decus, ornamentum, quod sine dubio respondet zendico çpaêta, pehlv. ספיט, pers. سپید. Syri saepe Pa. aut Aph. denominativum a substantivo peregrino formant, cf. ܐܪܙ et ܪܙ a ܐܪܙܐ (pers. راز), ܩܠܣ a ܩܠܣܐ (κλέος), ܛܟܣ a ܛܟܣܐ τάξις, ܐܦܝܣ a ܦܝܣܐ πεῖσις.

ܨܕܝܐ solitudo 68, 112; II 518 b. III, 329 f.

ܨܗܝܘܬܐ sitis III 581 f.

ܨܘܒ Pe. advenire, congregari III 474 f. 602 e.

ܨܘܒܐ reditus III 378 b.

ܨܗܝܒ ardens 10, 58; ܨܗܐܒ sitiens 45, 49.

ܨܘܚ Pe. clamare II 394 d.

ܨܘܡ Aph. jejunium praescribere 2, 110.

ܨܘܬܐ sonus 1, 94; 47, 24; 68, 111; II 403 f. III 256 a. b. 276 f.; auditus III 322 a.

ܨܘܚܝܬܐ disputatio 54, 1; 68, 87; II 440 e. f. 505 f. III 98 a 112 a. 395 f. 620 a.

ܨܠܠܐ puritas II 478 f.

ܨܠܨܠܬܐ strepitus 69, 98.

ܐܨܛܠܝ precare III 560 b.

ܦܚܐ ܨܠܐ laqueos disponere 52, 38; 58, 94. Idem significat ܦܚܐ ܛܡܪ III 588 e.

ܨܠܝܚܐ scissio 60, 78.

ܨܠܚ Pe. Part. pass. discissus III 147 d. — Pa. aperire 14, 151; III 96 f. 592 d.

ܨܢܐ Ethpa. fortasse impliceri 18, 106.

ܨܢܝܥܐܝܬ astute II 479 f.

ܨܥܪܬܐ peccatum III 453 c.

ܨܥܠ Pe. foedare III 431 e.

ܡܨܥܪܢܘܬܐ contumeliositas, maledicentia 21, 84.

ܨܦܚ Etthaph. malo superveniente affici II 339 c.

ܨܪܝܬܐ Plur. ܨܪ̈ܝܬܐ scissura III 200 a.

ܨܪܘ videtur esse balsamum seu aroma II 430 b.

ܨܪܚ Aph. exclamare II 344 f. 394 d.

ܨܪܦܐ conflatio, fusio 30, 88.

ܩ

ܩܘܝܐ܇ ܩܘܝܐ stagnum, lacus III 73 d.

ܩܒܠ sequ. ܥܠ conqueri de aliquo 38, 16. 18; 45, 93; 61, 76; 68, 81; ܥܠ ܡܩܒܠ conqueri potest de aliquo 3, 86. 87; III 439 a.

ܩܒܠ adversari II 460 f.

ܩܘܒܠܢܐܝܬ contrarie III 37 e.

ܩܒܥ Pe. Part. pass. firmus, non liquidus III 157 b. — Ethpe. infigi, reconstrui 46, 90.

ܩܒܘܥܐ compositio, coadunatio 44, 88.

ܩܒܘܥܬܐ acus clavi, uncinus 36, 5.

ܡܬܩܒܪܢܐ sepeliendus II 362 e.

ܩܒܘܪܬܐ sepultura III 462 b.

ܩܕܐ Ethpa. manere III 172 d. 333 e. 338 a. 441 f. 437 c.

ܩܕܡܝܐ II 502 c, ܩܕܡܝܐ III 594 f. primus.

ܩܕܪ Ethpa. scindi III 377 b.

ܩܕܫ Pa. matrimonio jungere 1, 49. 52. — Ethpa. matrimonio junctum esse 1, 117. Cf. talm. קַדֵּשׁ desponsare, קִדֵּשׁ, הִתְקַדֵּשׁ desponsari, קִדּוּשִׁין sponsalia.

ܩܕܝܫܐ angelus 9, 41 (cf. hebr. Job 5, 1; 15, 15, chald. Dan. 4, 10).

ܩܘܡ sequ. ܥܠ aliquid animo deprehendere (auf etwas kommen) 71, 43, cum negatione aliquid intelligere non posse 35, 208; II 506 c. ܩܡ ܥܠ ܒܡܠܬܗ verbo suo stare, promissis stare III 142 e. ܩܡ ܒܐܦܐ patrocinium suscipere III 229 f. 230 b. 236 b. 264 f. 267 a. 332 f. 334 c. 488 f. 492 a. ܠ ܩܡ auxilium ferre, sistere, vindicare 31, 38. 108; 43, 69; 51, 59; II 446 b. III 63 f. 70 e. ܐܝܬܝ ܘܐܩܝܡ proferre 6, 56, proferre 5, 51. Cf. ܩܪܒ.

ܡܩܝܡܢܐ erigens III 447 e.

ܩܘܠܬܐ amphora II 440 e.

ܩܗܐ Aph. pervertere, ambire II 474 c.

ܩܛܝܢܘܬܐ subtilitas II 492 c. III 139 f. 140 a.

ܩܛܝܪܐܝܬ necessario II 553 e.

ܩܛܪܓܐ accusatio II 555 d. III 362 e.

ܩܝܢܐ aratrum II 392 f.

ܩܘܠܠܐ ignominia, contumelia 55, 4; 60, 83; II 408 e.

ܩܠܐ Pe. confringere II 469 a; III 372 e (sed hic fortasse melius ܘܩܠܠܗ legendum est). — Aph. contemnere, sequ. ܠ 19, 91; III 480 a.

ܩܠܠܐ animalculum frumento infestum 31, 167; 40, 90; III 162 e. f.

ܡܩܠܥܐ funda III 372 e.

ܩܘܠܥܐ lutum III 53 b. 131 d. Cf. Middeldorpff l. c. p. 609.

ܩܡܛ Pe. colligare III 280 e, cf. ar. قَمَطَ.

ܩܢܘܝܐ possessor II 527 d.

ܩܢܝܐ idem 77, 3.

ܩܢܛ Pe. Part. pass. timens ܩܢܝܛ II 416 b, et ܩܢܝܛ III 472 d. — Ethpa. terreri, timere 40, 49; II 379 f. 380 b. 410 d.

ܩܘܢܢܐ concentus, melodia II 557 f. 439 d. (ubi scriptum est ܩܘܢܢܐ).

ܩܘܦܐ congeries, acervus 73, 46.

ܩܨܨ Pe. contundere III 563 c.

ܩܨܠ Ethpe. exscindi III 53 c.

ܩܨܬܐ machinatio, insidiae II 475 e.

ܩܨܠܬܐ sophisma intricatum III 100 b.

ܩܨܗ Pa. impedire 60, 43.

ܩܪ Aph. aliquid alicui in rationem inducere, alicui ob aliquid succensere 36, 197; II 408 a. III 302 f. Part. pass. definitus, tributus III 245 c, odio dignus III 242 e.

ܩܘܡܪܘܬܐ sacerdotium idolorum II 381 b. 383 b.

ܩܪܦ Pe. moleste ferre, vituperare, sequ. ܒ 36, 164; III

253 b. — Ethpa. destitutum esse II 541 a.

ܩܣܪ Καῖσαρ II 432 e.

ܩܪܫ Pe. frigescere, algere 29, 150; III 72 f. 362 d.

ܩܪܝܢܐܝܬ (ita cod. A, sed B et C habent ܩܪܝܢܝܬ) contentiose 35, 283.

ܩܪܒ Pe celebrare II 530 b, part. pass. II 530 b.

ܩܪܢܐ caput debiti 2, 132; 45, 41; 49, 8; 74, 88; II 400 c. 405 f. III 68 e. 296 d. 374 a. 378 d. 415 d, cf. ar. قَرْن et ZDMG XVII, 756.

ܩܪܘܢܐ currus II 379 e.

ܩܪܨ Pe. videtur esse ludibriose annictare 64, 13, cf. קרץ עינים.

ܐܬܩܪܛܦ timore afficere, tremore percellere III 633 f.

ܩܫܫ Ethpe. senescere II 476 a. — Ethpa. vetustum esse 38, 114; II 488 a. III 379 c.

ܪ

ܐܪܙ sicut 29, 22. 30; 46, 35. 161. 183; ܐܝܟ ܪܙ idem 46, 31; simplex ܪܙ idem 45, 122; 49, 110. — Cod. A solet habere ܐܪܙ, B ܐܪܐܙ, C ܐܪܐܙ. Vox non est semitica, ut putat Gesenius in thesauro suo, sed sine dubio persic. راز, sanscr. रहस्, saepius रहस्य. Cf. chald. אֲרָזָה, רָז Dan. 2, 18. 19; 4, 6.

ܒܪ ܪܐܙܐ symbolum 32, 69; symmysta, particeps divinorum mysteriorum III 249 b.

ܐܪܙܢܐܝܬ mystice III 408 f.

ܪܒܐܝܬ magnopere 4, 28; 5, 139; III 257 b. 448 b. 565 f. 678 d.

ܪܒܘܢ ῥαββουνί 4, 86; II 408 a.

ܪܒܝܐ 13, 72 incrementum; non est prorsus synonymum cum ܬܪܒܝܬܐ, quod in hoc versu educationem significat.

ܪܩܒ putrescere III 317 d. 322 f.

ܪܩܝܒܐ putridus III 320 a. II 394 a.

ܪܩܝܒܐ quatriduanus, de Lazaro, qui per quatuor dies in sepulcro jacuit 41, 202.

ܪܟܢ Pe. deprimere 2, 91. — Ethpa. deprimi III 40 b.

ܪܘܝܚܐ gaudium, jucunditas 6, 190.

ܪܘܝ Pa. emollire 16, 41; 19, 93. — Aph. florentem, fertilem facere II 525 e (proprie humectare, succo imbuere).

ܪܘܓܙܐ poena divinitus immissa 1, 12. 127; 5, 15; 6, 117. 120. 121; 7, 1; 13, 40.

ܡܪܫܠ ad errorem seu peccatum seducere II 451 a. III 74 f. — Pass. ܐܬܪܫܠ peccare 15, 59.

ܒܪܬ ܪܓܠܐ pedisequa, proxime sequens II 557 d.

ܪܓܡܐ lapidatio II 421 e.

ܪܓܫ Pe. tumultuari, fremere 28, 9; III 70 e.

ܪ̈ܓܫܐ sensus, sensibilitas 2, 175.

ܪܕ Aph. pandere, diducere, numerare II 383 d. (cf. chald. רדד).

ܪܕܐ Pe. spargere, emittere III 624 a (ubi Bernstein non recte ex mea sententia ܪ̇ܕܐ corrigere voluit ZDMG IV, 313). — Ethpe. de aqua emitti, in canales deduci 3, 98.

ܪܗܒ Aph. terrere II 319 c.

ܪܗܝܒܐܝܬ velociter 31, 112.

ܪܗܒܘܢܐ promissio matrimonii, sponsalia 60, 101, ut neograecum ἀῤῥαβῶνας.

ܪ̈ܗܛܐ cursor III 257 b. 584 f. 617 a.

ܪܘܠ Aph. putrefacere II 345 c.

ܪܘܠܐ putredo 10, 51; II 515 c. d.

ܪܘܒ Pe. vociferari 35, 236; II 407 f. 445 e. III 70 e. 98 e.

ܪܘܙ Aph. laetificare 1, 55; III 276 f.

ܪܘܙܐ gaudium III 594 d.

ܪܘܚ̈ܐ aroma III 168 f. 574 f. 575 e. 577 b. c. 597 c.

ܪܙܦ Pe. instillare, infundere III 305 a. (cf. ܪܙܦ).

ܪܘܙܐ videtur esse nidus III 35 b, apud Novariam ܪܘܙܐ.

ܪܣܣ Aph. aspergere III 380 f.

ܪܣܣܐ effluvium 21, 86; III 101 d.

ܪܚܡܢܐ misericors 61, 12. 109; II 487 f. 499 d. 507 b. 556 f. Cf. ar. رَحْمَن.

ܪܛܒ Aph. humectare 10, 36. 41. 61; II 446 d.

ܪܟܟ Aph. mollem facere II 549 d.

ܪܟܘܒܐ locus quietis III 577 e; currus III 296 b. 563 e. f; solum, pavimentum III 101 b.

ܪܟܢ Ethpa. (ita metrum postulat) flecti III 282 b.

ܐܪܟܢ ܪܝܫܐ mereri, sensu neutro III 206 b.

ܪܡܝܘܬܐ collatio, collecta (einlage, beitrag) 46, 41; III 378 c.

ܪܡܫܢܘܬܐ patientia, mansuetudo 15, 17; 16, 108.

ܪܡܫ Pa. 2, 187 ad vesperam usque commorari, ut chald. רַמֵּשׁ.

ܪܬܝܬܐ timens II 416 b; ܪܬܝܬܐ commotus, quassatus 11, 85.

ܪܛܢ Ethpe. murmurare 5, 89; II 480 e. — Ethpa. proclamari 1, 15.

ܪܘܛܢܐ murmuratio, indignatio invenitur 5, 111, sed etiam ܪܛܢܐ II 408 a.

ܪܛܘܢܐ lamentans 4, 13.

ܪܦ Aph. movere II 505 d.

ܪܦܝܘܬܐ laxitas, pigritia II 458 d. 352 e. 358 f. III 333 f. 373 f. 426 a. 433 e. 449 a. 468 d.

ܪܦܝܐܝܬ laxe II 352 c.

ܪܦܩ 44, 103 corrigendum est in ܪܦܩ.

ܪܦܣ 19, 15 in cod. B. Sed lectio ܪܦܣ in cod. A praeferenda est, ut apparet ex 28, 50.

ܪܦܦ Pe. Fut. A, se movere 31, 165; 47, 28 (ubi cod. A ܪܦ habet); 50, 18; II 346 e. 504 e. III 10 a. 109 e. 274 f. 593 a; serpere (um sich fressen) II 451 a.

ܪܦܦܐ motus, impulsus II 460 a.

ܪܨ Pe. conterere II 469 c.

ܪܣܣܐ gutta II 529 d. III 22 e.

ܪܨܝܦܐ II, 342 e, ܪܨܝܦܐ III 171 a, rivulus.

ܪܩܒ Aph. aliquid suppurare II 390 d.

ܡܪܩܘܕܬܐ proprie manuum torsio 75, 54.

ܪܫܘܝܐ accusans, vituperans II 449 c.

ܡܪܫܝܢܘܬܐ reprehensio, vituperatio 40, 29; II 449 b. 510 b. 514 f. III 230 e. 365 c. 654 f. 659 c.d.

ܪܫܠ Aph. dimittere, expellere, repudiare, concedere, permittere 26, 29; 27, 33; II 516 b. 517 b. c. 539 d. 540 e. 571 e.

ܪܘܫܡܐ signum, nota II 491 f.

ܪܫܥ Pe. scelestum esse II 456 e.

ܪܛܝܒܐ humidus III 177 e.

ܐܬܪܛܒ, abundare, vigere, florere III 665 e, ps. 72. 12; Jer. 12, 1; Hos. 10, 1; Job 3, 18; 21, 9 hex.

ܪܛܢ Pe. susurrare III 633 d, loqui 69, 101; II 338 c. III 151 a.

ܫ

ܫܐܘܠܐ interrogans III 369 d. 450 d. 451 d. e. 569 b.

ܫܘܬܦܐܝܬ communicatorie, adscititie II 460 c.

ܫܘܬܦܘܬܐ pro ܫܘܬܐܦܘܬܐ 40, 30.

ܫܫܪܐ (melius ܫܫܪܐ) annulorum catena, armilla III 245 a. 319 f.

ܫܒܒܐ II 454 a, secundum versionem latinam *laqueus*, sed melius, ut videtur, *scintilla*, cf. ar. شبب, hebr. שְׁבִיב, chald. שְׁבִיב.

ܫܒܐ Aph. captivationem efficere II 527 b.

ܫܒܝܐ captivator 12, 4; II 436 a. III 130 e. 205 e. 382 a. 385 b. 398 f.

ܫܒܪ Ethpa. se quasi infantem et innocentem gerere II 320 b.

ܫܒܪܘܬܐ infantia II 453 b. 527 d. 550 f. III 276 d. 595 e. 596 d.

ܫܓܝܬܐ error II 457 e.

ܫܓܘܫܝܐ violentia, necessitas II 450 b. 453 b.

ܫܓܝܫܐ perturbatus 11, 104; 75, 114, sed ܫܓܝܫܐ etiam invenitur 75, 112; 77, 77. 82.

ܫܓܘܫܐ perturbator II 517 a.

ܫܐܕܢܐ daemoniacus 61, 32; II 409 e.

ܫܕܐ Ethpa. ejici, projici 61, 29. — ܪܓܬܐ ܨܒܝ ܫܕܐ voluptati habenam remittere 21, 4.

ܫܕܠ Pe. blandiri 9, 48; III 673 d.

ܫܘܕܠܐ blandimentum III 378 e.

ܡܫܕܪܢܐ mittens III 176 c.

ܫܚܠ Pe. desertum, infirmrum,

exstinctum esse, languescere 36, 182 (in Cod. C); 46, 74.

ܫܗܪܐ vigil II 475 b.

ܫܘܝܓܐ lotio III 589 a.

ܫܕ Pe. effundere 30, 69.

ܫܘܚܕܐ munus, donatio 15, 19.

ܐܫܬܘܚܕ solitarie vivere II 461 a.

ܫܘܚܕܢܐ donum III 503 b.

ܫܚܢ Aph. dolorem efficere III 420 d.

ܫܘܚܢܐ pacificatio III 96 a.

ܫܘܚܦܐ limatio, expolitio II 498 b. III 94 f.

ܡܫܚܦܐ purus, clarus II 510 a.

ܫܚܠ Pe. Fut. A, cessare, proprie defluere II 516 a. — Ethpa. conflari, defaecari 43, 214. — Aph. solvere, liquefacere, purificare II 363 b.

ܫܚܠܐ effluvium, flumen II 497 f. 498 a. III 579 e, fortasse faex 17, 110.

ܫܚܠܘܠܐ rivus II 342 e.

ܫܚܡ Aph. nigrum facere III 578 c. — Ethpa. obfuscari III 532 e.

ܫܘܚܡܬܐ massa atra 49, 149.

ܫܚܝܡܐܝܬ simpliciter, modo communi II 429 e.

ܫܚܩ Pe. laborare, operam dare, exercere 40, 10; 41, 72; 43, 192; praeparare, componere III 371 e; contritum esse III 374 e. Part. pass. ܫܚܝܩ laborans 7, 46, 66; 9. 43. 57; III 127 f (ubi forma ܫܚܝܩܐ invenitur); laboriosus, aerumnosus, contristatus III 242 c. 243 d. 318 d. 374 d. — Cf. Middeldorpff l. c. p. 448.

ܫܘܚܩܐ labor 66, 29, moeror III 586 f.

ܐܫܬܚܪ relinqui II 526 b.

ܐܫܬܚܠܦ in pejus mutari II 551 c.

ܐܫܬܚܠ desiderare 71, 63.

ܫܚܬ Fut. A, Pe. aeruginem contrahere III 55 a. — Pa. II 439 f metro repugnat et in Aph. mutandum est.

ܫܛܐ Ethpa. desipere III 396 a.

ܫܟܝܒܐ jaciens, dormiens 70, 59.

ܫܟܝܚܘܬܐ inventio 46, 32; II 319 a. 329 f.

ܫܟܢ Aph. habitare facere II 414 b.

ܫܟܝܢܐ daemon hominem inhabitans III 200 d.

ܫܟܝܢܬܐ majestas divina שְׁכִינָה III 568 a.

ܫܟܪ Pe. inebriatum esse II 551 d, deturpari, deformari, caligare de oculis 31, 118. — Pa. blasphemare 38, 73; II 438 c (quod Rödiger falso tamquam exemplum conjugationis Peal attulit), 523 f, diripere II 551 c.

ܫܟܝܪܘܬܐ III 29 f et ܫܘܟܪܘܬܐ II 458 f turpis actio.

ܫܟܟ Aph. quiescere facere II 474 c. — Ethpa. ad quietem perduci II 390 d.

ܫܠܝܘܬܐ quies 15, 13; 16, 98; III 321 d.

ܫܠܝܢܘܬܐ idem III 594 a. Bernstein l. l. pag. 313 correxit ܫܠܝܘܬܐ.

ܫܠܘܚܐ mittens 66, 84.

ܫܠܝܚܘܬܐ nuditas III 431 a.

ܡܫܠܡܢܐܝܬ perfecte III 605 a.

ܫܘܡܗܐ nominatio III 179 a.

ܫܡܠ Pa. maturare III 590 a. d.

ܫܘܡܠܬܐ fama infausta 4, 74; 10, 98; 75, 48.

ܫܡܛ Pa. dimittere 6, 131; 45, 52; II 456 e.

ܫܡܫܢܐ servus 13, 67; 59, 36; 53, 3. 188, diaconus 4, 137; 21, 44. 187.

ܫܢܝܢܐ arista II 422 c. III 590 a.

ܫܘܢܝܐ idem ac ܫܢܝܐ 2, 65.

ܫܢܐ Aph. insanum reddere 57, 128; II 438 c. 524 a (410 a in Pael mutandum est). — Ethpa. insanire II 438 e.

ܫܘܢܬܐ pugillus 74, 125; II 334 a.

ܫܥܫܐ radix III 124 b.

ܫܦܐ Ethpa. purificari 45, 132.

ܫܦܠܐ piger 11, 45, humiliatus 76, 100, humilis, asceta 7, 54; 31, 218.

ܫܦܝܘܬܐ otium 61, 25.

ܫܦܠܐ humiliatio 36, 175; 40, 1; 74, 3; III 570 c. e.

ܫܦܠܘܬܐ vesica II 316 e.

ܫܦܪ Pe. occare 6, 110.

ܫܦܪ Ethpe. placere III 450 c.

ܫܩܝܘܬܐ potatio II 421 f.

ܡܫܩܠܐ exilium II 438 a.

ܦܪ ܫܘܪܐ propugnaculum III 68 b. 595 f.

ܫܪܪܐ fidei conjugalis promissio, sponsalia 60, 103; 75, 73.

ܫܪܒ Pa. condere gentem, propagare II 455 e. f. 456 a. — Ethpa. invenire II 384 b.

ܒܫܪܒܐ pro II 484 d.

ܫܪܓ Pe. incendere Jes. 50, 11 hex. Ethpa. lucere II 350 b.

ܫܪܕܘܕܐ cadaver 36, 34; III 277 d. e. 295 d. 296 a.

ܫܪܐ Ethpa. dissolvi, destrui 47, 60.

ܫܪܘܝܐ primus, primitivus, recens 39, 204; 71, 55; II 406 f. 410 d.

ܫܪܘܝܐܝܬ primo, primitus 39, 209; 45, 141; 69, 95; 31, 177.

ܫܪܚ Pa. recreare 61, 35. — Aph. idem III 575 a. — Ethpe. recreari, gaudio exsultare, bono sensu III 597 d. — Ethpa. idem III 586 e. 593 c; redundare III 564 b.

ܫܪܝܚܐܝܬ libidinose II 548 c.

ܫܪܓ Ethpe. delabi II 455 a; peccare II 456 f. 457 b. III 363 a.

ܫܪܘܦܬܐ putamen 46, 176; II 541 e. 552 a.

ܡܫܬܝܢܝܬܐ quod bibi potest III 589 e.

ܫܬܘܝܐ bibens II 497 f. 502 b. III 582 a.

ܫܬܠ Pe. plantare II 558 c.

ܫܬܩ Pe. Fut. U, pro ܢܫܬܘܩ III 556 d, cf. chald. יִשְׁתֹּק.
ܫܬܝܩܐ silens, pro ܫܬܝܩܐ II 418 b.

ܬ

ܬܒܪ Pe. Imperat. U, quamquam Fut. A habet, cf. III 388 c. 398 d.
ܒܬܪ ܬܚܘܡܐ idem ac ܒܬܪ ܐܘܚܡܐ 41, 147.
ܬܕܐ Plur. ܬܕܝܐ mamma II 423 f.
ܬܘܒ rursus 35, 193.
ܬܝܒܐ poenitens 3, 50; 31, 147; 39, 157; II 407 d. 445 c. 471 a. 516 d. III 27 e. 169 c. 245 f. 315 c. 333 c. 338 c. 347 e. 359 a. 367 c. 371 b. d. 375 b. f. 377 a. 382 f. 383 a. b. 568 a.
ܬܘܗ Aph. stupere facere, excitare 18, 52.
ܬܘܗܪܐ confusio 9, 36; III 265 e. 440 a.
ܬܘܡܐ allium 60, 92, cf. Num. 11, 5.
ܬܘܠܐ ulcus III 124 b.
ܬܒ Pe. manere, quiescere II 437 d. III 108 e.
ܬܛ Pe., ut videtur, descendere, immergi, 76, 98, cf. ar. غطّ.
ܬܝܒܘܬܐ poenitentia 52, 87; II 480 a. 508 f. 514 c. III 339 b. 378 d. 392 d. 585 b.
ܬܫܫ Pe. infirmum fieri III 57 c. 58 b. 447 a. — Aph. debilitare, superare 54, 13; III 623 e.
ܬܫܝܫܐ infirmus, miser III 279 a. 319 e. 593 f.
ܬܫܫ humiliare III 317 f. 319 e. 347 f.
ܬܐ Ethpe. vehementer irasci seu timere II 440 f (non Ethpaal, quod metro repugnat).
ܬܐܠܡܐ faex, impuritas II 440 f. 476 f. III 592 b. 272 d; ܬܠܡܐ 30, 52. 65. 69. 127; 31, 126; 45, 105; 35, 125; II 504 c. 505 a. 506 d.
ܬܠܡܐ turbidus, impurus II 476 f.
ܬܠܡܘܬܐ impuritas III 113 f.
ܬܟܪ Aph. jacturam pati II 533 f.
ܬܟܒ Pa. studio et sollicitudine aliquid facere II 417 f.
ܬܟܝܒܐ instans, appropinquans 14, 63.
ܬܟܠ Aph. sperare facere, sequ. ܥܠ.
ܡܬܟܫܢܐ reprehensor III 169 f.
ܬܘܟܫܐ reprehensio, coercitio III 170 a.
ܬܠܬ Pa. tertio aliquid facere 1, 149. 150. Saepe conjungitur cum ܬܢܐ iterare, cf. 1, 152; 29, 208. 213. 234; III 99 a, aut cum ܥܦܦ duplicare, cf. II 400 d.
ܬܠܝܬܝܐ triduanus, Dominus Jesus Christus, qui per tres dies in sepulcro jacuit 1, 105; 41, 202; triunus 2, 49; 5, 83.

ܐܬܛܠܠ se tamquam infantem gerere II 320 b.

ܬܡܗ Ethpe. mirari II 354 f.

ܬܡܣܘܬܐ sanies, ulcus 11, 26; II 515 c. III 619 e.

ܬܢ Ethpa. fumigari III 203 a.

ܬܢܐ Pe. verbum auxiliare 69, 23.— Ethpe. praedicare, laudare III 560 b, sed bene a Bernstein (l. l. p. 313) in Peal mutatur.

ܬܢܝܐ iteratio III 198 f.

ܬܢܝܢܐ idem 35, 47. 48.

ܬܥܒ Pe. Fut. A, laborare, fatigari 49, 100; 50, 20; 74, 122; III 444 f. 446 b. Part. pass. vexatus III 372 b.

ܬܩܦ III 614 f, sed bene a Bernstein (pag. 313) in ܬܩܘܦ mutatum est.

ܬܩܦܐ pondus aut impetus III 192 e.

ܬܩܝܦܐ firmus, stabilitus III 666 e.

ܬܩܝܦܐܝܬ firmiter, recte 15, 34; 51, 130; 59, 9; II 501 d. III 20 a. 239 b. 269 f. 464 c. 465 b.

ܬܪܘܣܐ aries III 653 a.

ܡܬܪܣܝܢܐ nutriens II 316 e.

ܬܪܝܙܐ erumpens, defluens, praesertim de lacrimis III 253 c. 418 f, sed et improprie de ipsis oculis III 479 a.

ܬܪܨ Ethpe. rectum fieri II 509 d.

Volumen carminum Nisibenorum, a beato Domino Ephraem compositorum.

I. Ad modum: Aperiam os meum in scientia.

[1] Tu, Deus misericors, Noe recreasti, cum et ipse misericordiam tuam recreasset. Oblatis enim sacrificiis cohibuit diluvium, et ob dona data promissionem accepit. Cum oratione thureque te placasset, tua gratia eum jurejando et arcu donavit, ita ut, si quando diluvium terram laedere audet, arcus extensus sit exadverso, qui illud expellat terraeque animum addat. Tu juratus pacem custodias et arcus tuus pugnet contra indignationem tuam! (Responsorium: Extende arcum tuum adversus inundationem! nam ecce, elevavit fluctus suos contra muros nostros). [2] Aperte proclamatum est, Domine, vilem illum, quem Noe sparsit, sanguinem in aeternum prorsus iram cohibuisse. Quanto ergo validior erit sanguis unigeniti tui, cujus sparsione inundatio nostra cohibeatur, cum nonnisi tamquam illius praefigurationes valida facta essent vilia sacrificia, quae Noe obtulit iisque iram

---

I. In hoc carmine S. Ephraem, patriae personam agens, obsessionem, qua Nisibis jam tertio affligebatur, et inundationem ab hostibus molitam deplorat et misericordiam divinam implorat. Ad quam obtinendam gratiae recordatur, quam Deus diluvii tempore in Noe contulit, atque ostendit, urbem Nisibenam hac gratia cum digniorem esse, tum magis indigere, quam ipsum Noe ejusque familiam. — Tempus facile est inventu, cum haec obsessio expresse tertia nominetur (cf. carm. 1, str. 6. 11; 2, 5. 19; 3, 11. 12; 6, 1. 3), quae anno 350 accidit. Plura de hac obsessione in prolegomenis dicta sunt. Hoc primum carmen scriptum est, antequam aquae aggerem perruperunt et confractionem muri effecerunt.

[1] De ܡܘ̈ܡܝܬ „tu juratus" cf. quae in indice s. v. ܝܡܐ?? protuli.

cohibuit. Placeris ergo oblatione altaris mei et cohibe a me inundationem mortiferam! Ita salutiferum erit utrumque signum tuum, mihi crux tua et Noe arcus tuus. Crux tua scindat mare aquarum, arcus tuus cohibeat pluviae inundationem! [3] Ecce omnes undae perturbant me. Arcam quidem in eo beatiorem constituisti, quod fluctus tantum eam circumdabant; me autem tumuli et tela et undae circumdant. Illa quippe thesaurorum depositorium tibi erat, ego e contra depositorium debitorum. Itaque illa in amore tuo fluctus subegit, ego autem in ira tua orbata sum inter tela. Gestavit illam inundatio, perturbat me flumen. O nauta illius arcae, esto mihi quoque nauta in sicco! Sicut illi requiem dedisti in portu montis, ita mihi quoque requiem praesta in portu murorum meorum! [4] Me justus Deus abunde castigavit, cum arcam illam dilexisset inter medios fluctus. Vicit enim Noe libidinis fluctus, qui ipsius aetate filios Seth suffocaverant. Qui, ut ipsius caro filiabus Cain resisteret, fluctuum superficiem tamquam solum ascendit et, ne a mulieribus pollueretur, animalia copulavit, quorum omnia paria in arca ad matrimonii copulam conjunxit. Oliva, quae alias per oleum suum facies exhilarare solet, illorum facies per folium suum exhilaravit; me vero flumen, cujus potatio laetificat, per inundationem suam, Domine, contristat. [5] Abominationem iniquitatum mearum vidit justitia tua et oculi tui puri detestantur me. Congregasti aquas per immundum, ut facias mihi purgationem a peccatis, non ut per eas baptizando me purifices, sed ut terrendo me corrigas. Undae enim excitabunt ad orationem, quae abluet delicta mea. Aspectus earum, poenitentia plenus, est mihi pro baptismate. In mari illo, Domine, quod ad suffocandum

---

[3] Tres hic enumerantur hostium oppugnationes, tumuli, qui et aquae immittendae et telis ejiciendis inserviebant, tela, quibus defensores in muro constituti interficiebantur, denique aquae fluctus. Cf. prolegomena.

[4] S. Ephraem inter primos est, qui filios Dei Gen. 6 de Sethitis interpretati sunt, cf. ed. rom. I, 48; II 455—456; 477—479; III 564.

[5] Immundus vocatur Sapores rex, tum ob idololatriam, tum ob horrenda sua et incestuosa matrimonia, cf. 6, 6. — Mare Syris nominatur quaecunque aquarum congregatio; hic significat Mygdonii fluctus in aggeres immissos.

me destinatum est, potius peccata a misericordia suffocentur! In mari rubro corpora submersisti; in hoc autem peccata submerge pro corporibus! [6] Arcam misericordia ductus constituisti, per quam servares omnium residua. Ne in ira terram orbares, gratia tua fecit terram ligneam; illam in hanc evacuasti, postea hanc in illam regredi fecisti. Meae autem terrae ter impletae et evacuatae sunt. Et nunc undae aggrediuntur me, ut deleant reliquias, quae evaserunt in me. In arca residuum servasti, in me quoque, Domine, serva fermentum! Arca quasi gignens in montem emisit incolas suas; utinam et ego libere in meas terras emittere possim eos, qui in me inclusi sunt! [7] Inclusos in munitionibus meis laetifica, Domine, qui illos inclusos per olivam laetificasti. Misisti illam tamquam medicum per columbam infirmis, qui omnibus undis cruciabantur. Intravit et expulit omnes dolores eorum, nam gaudium ejus vicit moerorem et evanuit tristitia per solatium ejus; et sicut dux exercitus dedit fiduciam timentibus, sparsit conversationem inter desertos, effecitque, ut oculi aspectum pacis gustarent et os festinanter ad laudem tuam aperiretur. Sicut olivam illam in undis conserva me, ut per me laetifices inclusos in munitionibus meis. [8] Inundatio ausa est irruere in murum nostrum, sed sustentabit eum potentia, quae omnia sustentat. Non cecidit sicut aedificium arenae susperstructum, quia non aedificavi doctrinam meam super arenam. Petra erit mihi fundamentum, quia super petram tuam aedificavi fidem meam. Fundamentum secretum fiduciae meae portabit muros meos. Ceciderunt enim muri Jericho, quia super arenam aedificavit fiduciam suam. Moyses e contra aedificavit murum in mari, quem super petram

---

[6] Terrae urbis Nisibis, id est agri et pagi finitimi, jam ter evacuatae sunt, nimirum quia incolae earum tempore trium Persarum invasionum aut aufugerunt aut in urbem munitam se receperunt. Oratur ergo Deus, ut, quemadmodum in arca reliquias generis humani servavit, ita et urbem Nisibin, eosque, qui in eam confugerunt, conservet, nec per excidium urbis omnem spem abscidat.

[8] Videntur Persae aquas Mygdonii, antequam eas in aggeres immiserunt, diu retinuisse et collegisse, ut magno impetu in muros irruerent. S. Ephraem certe divino auxilio adscribit, quod tum murus non confractus est.

aedificavit animus ejus. Fundamentum Noe in petra positum erat, ideoque aedificia lignea in aquis portavit. [9] Compara animas, quae in me sunt, animalibus in arca! Loco Noe, qui tristis erat in ea, ecce altare tuum, triste et humiliatum! Loco mulierum nuptarum in ea, ecce virgines meas, quae non nubunt! Loco Cham, qui post egressum suum nudavit turpitudinem patris sui, ecce operatores charitatis, qui fovebant et vestiebant apostolos. In doloribus meis insipienter loquor, Domine; noli igitur arguere, si irritant te verba mea. Prosperos, qui murmurabant, silere fecisti; mei autem miserere, sicut postremorum, qui siluerant! [10] Ante iram fecisti domum refugii, sed restiterunt ei omnes gentes. Noe vero recreabatur in requie, quia quietem praestitit habitatio ejus sicut nomen ejus. Clausisti portas, ut servares justum; aperuisti cataractas, ut perderes immundos peccatores. Constitit Noe inter terribiles undas extrinsecus et perniciosa ora intrinsecus; circumtulerunt eum undae, perturbarunt ora. Tu vero placasti bestias intraneas cum eo et humiliasti coram eo undas extraneas, mutastique aspera celeriter, quia tibi, Domine, facilia sunt difficillima. [11] Audi et perpende comparationem mei et Noe, et etiamsi levior inveniatur dolor meus quam dolor illius, gratia tua aequet salvationes nostras! Ecce enim filii mei, sicut ille, positi sunt inter iratos et perniciosos. Pacem igitur praesta mihi, Domine, cum intraneis, et humilia coram me extraneos et duplica victoriam meam. Et quia ter me invasit furiosus ille interfector, Christus tuus triplicet etiam gratiam suam! Ne vincat malignus misericordiam tuam, immo supera eum, qui me iterum atque tertio invasit! Volet victoria mea per orbem, laudem tibi paratura in orbe! O qui resurrexisti tertio die, noli nos occidere in tertia calamitate.

---

[9] Alludere videtur ad Num. 11 aut 14 aut 16.

[10] Nomen Noe quietem significare notum est.

[11] Sub iratis (ܡܬܚܡܬܢ̈ܐ) cives partium studio, haeresi imprimis Ariana, distractos ab invicem, sub perniciosis (ܡܚܒ̈ܠܐ) autem hostes, extra insidiantes, fluctusque ab iis excitatos intelligendos esse, mihi videtur postulare comparatio cum Noe.

II. De liberatione urbis.

Ad modum: Consolamini promissionibus.

[1] Aperta sunt hoc die ora ad gratias agendas. Ii ipsi, qui scissuras aperiebant, aperuerunt ora filiorum meorum; laudant misericordem, qui salvavit populum nostrum, neque hoc tempore id spectavit, ut retribueret nobis secundum merita nostra. Cum jam excitati essent ii, qui nos captivos abducere vellent, gustaverunt saecula gratiam tuam per salvationem nostram. (Responsorium: Ab omnibus ore praeditis laudetur gratia tua)! [2] Salvavit nos sine muro et se murum nostrum esse docuit. Salvavit nos sine rege et testatus est, se esse regem nostrum. In omnibus omnino salvavit nos et monstravit, se ipsum esse omnia. Salvavit nos per gratiam suam et hoc modo rursus revelavit, se gratis misereri et salvificare. Ab omni gloriante aufert gloriam et dat eam gratiae suae. [3] Sonus omnium orum non sufficit ad laudem tuam. Nam in illa hora, qua lux nostra fumigabat et jam prope exstincta erat, repente (quia tibi omnia facilia sunt) prorupit et resplenduit. Quis unquam vidit duo haec mirabilia, quod desperato magna exstitit multaque spes, et quod hora ululatus mutata est in praedicationem? [4] Haec est dies festi, quia in ea pendent festa. Si enim ira nos captivasset, cessassent etiam festa nostra; quia autem superavit vicitque pax nostra, ecce intonant festa nostra. Haec dies benedicta sustentat omnia; in ea enim pendet urbs, in urbe populus, in populo pax, in pace pendent omnia. [5] Ex ipsis scissuris multiplicasti victorias. Gloria triuno adscendit e tribus scissuris,

---

II. Hoc carmen post liberationem urbis concinnatum, gratias agit Deo, simulque conqueritur, cives Nisibenos nec per afflictiones, nec per beneficia divina ad veram seriamque poenitentiam revocari posse.

[1] Ii, qui scissuras aperuerunt, sunt Persae, qui per aquae impetum murum confregerunt. Ipsi dicuntur aperuisse ora Nisibenorum ad gratias agendas, quia per murorum confractionem Deo occasionem praebuerant mirificam urbis protectionem ostendendi.

[5] Tres scissurae de tribus urbis obsessionibus intelligendae sunt, cum in unaquaque murus scissus esse videatur, cf. etiam str. 19. Cum tamen vox

quia descendit et restauravit eas per misericordiam, quae cohibet iram. Confregit eum, qui non intellexit, quod nos nonnisi edoceret. Docuit internos, quod justo judicio scidit scissuras; docuit externos, quod benigne restauravit eas. [6] Loquimini et afferte gloriam, salvati mei, in hac die, senes et pueri, adolescentes et virgines, infantes et innocentes, et ecclesia, mater civitatis! Senes enim liberati sunt a captivitate, juvenes a cruciatu, infantes ab allisione, mulieres a denudatione, ecclesia a derisione. [7] Venit ad nos duriter et perterrefacti sumus ad momentum; venit ad nos suaviter et emendati sumus ad horam. Avertit se et reliquit nos paululum, tum erravimus in infinitum, sicut fera bestia, quae discit, blandimentis et perterrefactione commota, quae vero, simulac homines averterunt se ab ea, rebellat, errat et perniciosa exsistit media in pace. [8] Retribuit nobis, nec tamen timuimus; salvavit nos, nec tamen pudefacti sumus. Coarctavit nos et multiplicata sunt vota, laxavit et multiplicata sunt delicta nostra. Cum affictaret nos, erat pactum cum eo; cum nos respirare sineret, erat rursus perversio. Sed quamquam noverat nos, abjecit se, ut nos stabiliret. Sub vesperam glorificavimus eum, tempore matutino rejecimus eum. Si necessitas discessit a nobis, etiam veritas discedit a nobis. [9] Afflixit nos scissuris, ut retribueret nobis pro peccatis. Tumulos elevavit, per quos deprimeret gloriationem nostram; aquas scidit, per quas ablueret sordès nostras. Coarctavit nos, ut conveniremus in templo suo; coarctavit nos et exstincti sumus; sed simulac aperuit nobis, rursus aberramus. Similes sumus lanae, quae versicolore omnium colorum varietate praedita est. [10] Sciamus, beatos Ninivitas non conversos esse per tumulos, nec per aquas, nec per scissuram, nec etiam per arcus, nec quia sonum chordae arcus pertimuissent eoque ad poenitentiam ducti essent; sed audita voce contempta confestim jejunium indixerunt infantibus suis, castitatem praeceperunt juvenibus suis, humiliarunt reges suos.

ܬܘܪܥܬܐ etiam de quacunque calamitate adhiberi possit, fortasse muri confractio ad tertiam obsessionem restringi debet.

11 Castigasti nos, et nos te justum confitebamur, quia non accidit
fortuito; salvasti nos et gratias egimus, quia indigni eramus. Mi-
sertus es nostri, et quidem non ideo, quia vana opinione sperasses,
nos poenitentiam acturos esse. Apertum enim tibi est, nos post
gratiam tuam rursus errare; cognosti, quod peccavimus et cognosti,
nos peccaturos esse. Bene sciebas culpam nostram et praeteritam
et futuram, quando misertus es nostri. 12 Comparavit poenitentiam
nostram, ut superaret debita nostra; sed ne in aequilibrium qui-
dem utraque mensura ascendere potuit, cum multa graviaque es-
sent peccata nostra et deficeret poenitentia nostra. Jusserat jam
Deus nos vendi pro debitis nostris, gratia autem ejus facta est
advocata nostra. Caput debiti una cum foenore solvimus per qua-
drantem, quem porrexit poenitentia nostra. 13 Dimisit nobis de-
bitum decem millium talentorum propter perpaucum, quod tribu-
imus ei. Ad illud quaerendum valde coactus erat, ut justitiae
suae satisfaceret; rursus autem ad dimittendum inductus erat, ut
laetificaret bonitatem suam. Lacrimas per momentum temporis
dedimus ei. Justitiae suae indulsit quaerendo et perpaucum su-
mendo; bonitatem suam laetificavit, cum multum propter hoc
paucum dimitteret. 14 Permulta debita sunt, quae dimisit nobis,
permulta, ita ut linguae nostrae impares sint bonitati ejus. Di-
misit nobis, nos autem non dimittimus; retribuimus ei per-
verso modo. Peccata commissa denuo inscribimus; clamamus:
dimitte, Domine! oramus: quaere, Domine! scilicet: dimitte!
si nosmet ipsi peccavimus, quaere! autem, si alius peccavit
in nos. 15 Neque etiam sicut extranei oppugnatores laboravi-
mus pro vita nostra. Illi enim elevaverunt tumulos, nos autem
ne voces quidem; illi dissolverunt murum, nos autem ne vin-
cula quidem debilia in corde nostro. Rejecit tamen Deus soler-
tes propter nos socordes; rejecit laborem extraneorum, quam-
quam ipse intus ingrate rejicitur. 16 Dimisit loquentes et per-
cussit silentes; murus laesus, populus autem instructus est; pe-
percit patibilibus et percussit murum passioni non obnoxium. Nam
pro animabus nostris sensibilibus percussit lapides sensu carentes,
ut nos castigaret. In amore suo pepercit corpori nostro, et cele-

riter percussit murum nostrum. [17] Quis unquam vidit, scissuram pro speculo fuisse. Utraque pars intuita est in id, utebantur eo extranei et intranei. Videbant in eo tamquam prae oculis potestatem frangentem et sanantem. Videbant eum, qui scissuram scidit rursusque restauravit. Extranei videbant fortitudinem ejus et profecti sunt nec vesperam exspectabant; intranei videbant auxilium ejus et laudabant eum nec tamen sufficiebant. [18] Dies salvationis tuae excitet somnolentiam tuam. Quando murus scindebatur et elephantes insistebant et tela pluebant et viri audacter aggrediebantur, erat spectaculum coelestibus; pugnabat ibi peccatum, sed triumphabat ibi gratia. Misericordia vicit infra, angeli clamaverunt superne. [19] Et studuit hostis tuus, ut percuteret artibus suis murum te circumvallantem, perfugium incolarum tuorum; studuit, sed non potuit. Et ne putaret, se post scissionem muri etiam intraturum et nos captivaturum esse, scidit eum quidem, nec semel tantum, sed pudefactus est; neque hoc sufficiebat, sed ter ei accidit, ut pudefieret ter in tribus conatibus. [20] Mihi quoque in media tua multiplicetur beatitudo per gratiam, ut, qui in te multa peccaverim, in te quoque multos fructus feram, et ut senectus mea in te misericordiam adipiscatur pro iis, quae in te peccavit juventus mea. Ore filiorum tuorum ora pro me filio tuo, qui peccavi supra vires meos et poenitentiam egi infra vires meos, qui sparsi sine mensura et collegi minima mensura.

III. Carmen alterum ejusdem modi.

[1] Stabili auditum nostrum, ne solvatur et aberret. Est enim aberratio, si investigamus, quid sit Deus et cui similis sit. Quomodo enim possumus pingere in nobis imaginem illius essentiae,

---

[17] Comparatur haec muri scissura cum speculo, quia in ea justitia, et in restauratione ejus potentia, bonitas, auxilium Dei cerni potuit.

III. Hoc carmen eodem cum antecedenti tempore scriptum est. Post praemissam adhortationem contra Arianos, qui S. Trinitatis mysterium perscrutari praesumebant, praedicat Dei misericordiam in liberatione urbis, civesque admonet, ut iterata castigatione edocti poenitentiae et emendationi studeant.

[1] Stultum est Deum perscrutari velle, quia nec ipsius animae nostrae

quae similis est menti. Nihil est in ea coarctatum; tota videt atque audit, tota est tamquam loquens, et totalitas ejus in omnibus singulis sensibus exsistit. (Responsorium: Gloria sit unicae essentiae, quae investigari nequit a nobis!). [2] Non possumus perscrutari aspectum ejus, ita ut pingatur in intellectu nostro; audit sine auribus, loquitur sine ore, operatur sine manibus, vidit sine oculis. Non potest eam comprehendere animus noster et desistit ab ea, cum talis sit; sed ipsa in bonitate sua induit formam humanam, ut nos colligeret sibique similes redderet. [3] Discamus, quomodo haec essentia sit spiritualis et apparuerit tamquam corporalis, et iterum sit pura et apparuerit tamquam irata. Fiebant enim haec propter nostram utilitatem, quia essentia illa nobis similis facta est, ut nos ei similes fieremus. Revera quidem unus tantum ei similis est, filius, qui processit ab ea, ejusque accuratissima imago est. [4] Nisibis, audi haec! propter te enim haec scripta et dicta sunt. Tibi et aliis in mundo fuisti causa proeliorum et sacrorum tractatuum. Ora super te, o inclusa, ora super te canebant. Sed post triumphum et liberationem tuam aperta sunt ora in te ad jubilationem et laudationem. [5] Oratio incolarum tuorum sufficiebat ad salvationen tuam, non quia justi, sed quia poenitentes erant, et, quantumvis flagitiosi, tamen se castigationi divinae animo partim debitis depresso, partim virtutibus ornato subjiciebant. Utinam in posterum bonis fructibus excellant, sicut hucusque peccatis excelluerunt! Certe victoriae corona iis affulsit, simulac in saccis poenitentiam egerunt. [6] Dies liberationis tuae est rex

---

naturam, qua in singulis sensibus tota est, intelligere possumus. Hoc argumento S. doctor saepissime utitur in hymnis contra scrutatores, cf. III, 180.

[3] Sententiarum nexus hic est: Ipsa quidem Dei essentia a scrutatoribus investigari nequit; hoc tamen intelligere possumus, cur Deus, quamquam spiritus est, humanam formam induit, et cur, quamquam est ens clarissimum et sanctissimum, iratus videtur et homines castigat. Incarnatus enim est Deus, ut nos sibi similes faciat, et in ira nos castigare videtur, ut nos emendet. Hoc modo transitum sibi pandit poeta ad sequentia, quae maxima ex parte de utilitate castigationis agunt.

[6] Docemur hic, murorum scissionem Sabbato, liberationem autem die dominica contigisse. Similiter et Theodoretus tradit, Saporem post muri

omnium dierum. Sabbatum destruxit muros tuos, prostravit ingratos; dies autem resurrectionis filii resurgere fecit cladem tuam. Dies resurrectionis te resurgere fecit secundum nomen suum et glorificavit nomen suum. Sabbatum vero reliquit custodiam suam et seipsum vituperavit per operationem scissurarum. [7] Samariae praevaluit fames, in te autem praevaluit satietas. Samariae repente evenit et exstitit satietas; tibi autem insonuit et advenit repente mare. Illic edebatur infans et vitam iis sustinuit; in te autem edebatur corpus vivum et vivificans omnia; repente salvavit manducatus manducatores. [8] Notum est, bonum Deum non voluisse calamitates, quae omni tempore homines affligunt, quamquam ipse eas immisit, sed peccata nostra causam esse nostrarum afflictionum. Nemo de creatore nostro, sed hic de nobis conqueri potest, cum eum peccando coegerimus, ut nobis contra ipsius voluntatem irascatur et nos percutiat contra ipsius beneplacitum. [9] Terra et vitis et oliva indigent castigatione. Oliva conterenda est, ut fructus ejus suaviter fragrent; vitis putanda est, ut fructus ejus pulchri sint; humus arandus est, ut proventus ejus boni sint; aqua in canales deducenda est, ut deserta irrigare possit; aes denique et argentum et aurum perpolienda sunt, ut splendeant. [10] Si ergo ipse homo omnia nonnisi castigando pulchra facit, et si quando castigationem spernit et negligit, omnia odibilia et inculta fiunt, discat homo per illud, quod castigat, eum quoque, qui ipsum castigat. Et homo quidem ideo castigat, ut ipse inde utilitatem percipiat. Unusquisque enim servos suos castigat, ut ipse possideat eos; bonus autem Deus castigat servos suos, ut ipsi se possideant. [11] Fiant afflictiones tuae libri ad admonendum te. Ii enim, qui ter inclusi erant, sufficiunt, ut fiant tibi libri, in quorum historiis mediteris omni hora. Quia duo testamenta spreve-

---

perruptionem in posteram diem exspectasse, ut urbem caperet. Nec ab eo differt Julianus, qui tamen in eo errat, quod ait, Saporem post muri restaurationem adhuc per longius tempus ante urbem remansisse, cf. 2, 17.

[1] Hic S. Ephraem aperte realem Christi praesentiam in eucharistia testatur. Cf. 2 Regg. 6—7.

ras, ne in iis legeres salutem tuam, ideo Deus scripsit tibi tres illos libros duros, in quibus legeres castigationes tuas. [12] Inhibeamus futurum per praeteritum; erudiamur poena inflicta, ut evitemus infligendam; reminiscamur praeteriti, ut dissolvamus futurum. Cum primae plagae obliti essemus, altera nobis institit; cum alterius quoque obliti essemus, tertia nos ursit; quis jam nunc obliviscetur?

IV. Ad modum: Congregatio afflictionum mearum.

[1] Mi Deus, indesinenter introibo ad portam domus tuae. Ego, quae rejeci omnem gratiam, poscam audacter, ut accipiam impudenter. (Responsorium: Spes nostra, esto murus noster!). [2] Si enim, Domine, singulare tritici granum a terra valde multiplicatur, quanto magis orationes meae ditabunter per gratiam tuam. [3] Propter voces infantium meorum suspirantes et clamantes aperi mihi portam misericordiae tuae! Propter voces eorum laetifica luctum saccorum eorum! [4] Fili unigenite, qui eras infans et conversabaris cum maledictis pueris Nazarenis, exaudi agnos meos, qui viderunt lupos, et ecce clamant. [5] Si enim, Domine, grex in campo videt lupos, confugit ad pastorem et auxilium quaerit sub baculo, qui edaces pellit. [6] Ita tuus quoque grex videt lupos, et ecce clamat valde. Vide eum perturbatum esse; crux tua sit baculus, qui depellat devoratores gregis! [7] Accipe benigne clamorem meum per pueros meos, qui omnino puri sunt! Ille enim infans paucorum dierum placare potest, Domine, antiquum dierum. [8] In

---

IV. Oratur Deus, ut, precibus populi flexus, urbi agrisque ejus pacem restituat, eosque, qui aufugerunt, reducat. Hoc carmen scriptum est sub initium mensis Nisan, qui prorsus cum Aprili romano concidit, a. 359, quando Nisibeni certum nuntium acceperunt, Saporem cum ingenti exercitu ad Mesopotamiam invadendam appropinquare. Ait enim S. Ephraem 7, 3, malos nuntios mense Nisan allatos esse, agros autem a Romanis tempore lunae decrescentis vastatos esse 6, 24. Tempus autem lunae decrescentis a. 359 prius dimidium mensis Aprilis occupavit. Hoc ergo carmen ad initium mensis Nisan referendum est. Apparet, Nisibenos publicam supplicationem instituisse, cui totus populus, etiam infantes, intererant, ut precibus suis finem belli a Deo impetrarent.

plateis meis omnibus infantibus meis sit pax illa, quam evangelizaverunt angeli descendentes illo die, quo infans se demisit in praesepe. [9] Duo et septuaginta senes, seniores illius populi, non sufficiebant medendis scissuris; infans vero hic, Mariae filius, pacificat omnes regiones. [10] Miserere, Domine, infantium meorum, per eosque memento nativitatis tuae, quod ipse fuisti infans. Ii igitur, qui similes sunt infantiae tuae, salventur per gratiam tuam! [11] Mixtus est in grege tuo clamor innocentium cum sono ovium, quae invocant pastorem omnium, ut liberet se ab omnibus malis. [12] Contexam omnes voces et faciam ex iis coronam vocum, offeram eam patri tuo, emam — — —

— — — [13] In laetitia ob afflictiones illatas occulta est tristitia; sed tristitia ad nostram emendationem est fons laetitiae in nova illa vita. [14] In felicitate, qua gaudet persecutor meus, occultae maledictiones insunt. Ego vero laetificor, quia in illa miseria, qua ab eo affecta sum, mihi inest occulta felicitas. [15] Quis non laudet eum, qui nos procreavit et qui rursus procreare potest vocem laetorum nunciorum e mediis calamitatum famis? [16] Tu, medice omnium, curasti me in aegritudinibus meis. Pretium medicamentorum tuorum dare nequeo, quia non est eis aequivalens. [17] Dives misericordia tua praestat vel medicamentis tuis; non possunt emi, sed gratis donantur, pro lacrimis accipiuntur. [18] Quomodo, Domine, urbs orbata, cujus rex procul abest et cujus hostis prope adest, stare potest sine misericordia? [19] Tu omni tempore portus et refugium es; quando aquae me tegebant, descendit misericordia tua et extulit me; rursus igitur nunc comprehendat me auxilium tuum. [20] Porrige afflictionibus meis medicamentum liberationis tuae et passionem salutarem, qua me emendas. Signum tuum potest fieri medicamentum sanans omnia. [21] Valde contristata sum et sedula ad accusandum eum, qui me perturbavit. Sed gratia

---

[9] Intelligit septuaginta senes, a Moyse ad lites dijudicandas constitutos, cf. Num. 11.

[13] Ante hanc stropham deest unum folium, in quo circa 17—18 strophae scriptae erant.

tua, Domine, confringat calicem, quem miscuerunt peccata mea!
[22] Speculata sum in omnes partes et flevi, quia deserta sum;
quamquam valde numerosi sunt duces et defensores mei, unus
tantum est, qui me liberet. [23] Fugerunt, Domine, et reliquerunt
me infantes mei, et similes facti sunt pullis, quos aquila persequitur;
ecce occultaverunt se in abscondito; pax tua reducat eos!
[24] Cantum vinitorum meorum ecce desiderant aures meae, nam
voces eorum defecerunt; sed rursus intonetur cantus eorum per
laetos nuncios liberationis tuae, o bone. [25] Vocem horroris audio
in turribus meis; clamant enim defensores mei, quando custodiunt
muros meos; quiescentem fac hanc vocem per vocem pacis tuae!
[26] Tumultus agricolarum meorum pacem annuntiet extra muros
meos, sonus civium meorum intra muros meos, ut Deum laudem
foris et intus. [27] Solve, Domine, moestitiam hujus altaris puri,
et casti sacerdotis tui, qui stat veste lugubri indutus et sacco desuper
cinctus! [28] Laudabit te propter salvationem tuam ecclesia
et ministri ejus, urbs et incolae ejus. Fiat, Domine, sonus pacis
pretium vocum supplicum eorum!

V. Ad modum: Grex tuus suspiriose.

[1] Fac ut audiatur per gratiam tuam nuntius salvationis, quia
nuntii terribiles, auditu nostro tamquam via transitoria usi, animos
nostros calcaverunt. (Responsorium: Gloria sit victoriae tuae,
laus dominatui tuo!) [2] Consolare lucris parvis et levibus eos, qui

---

[22] Conqueritur, multos cives ob metum hostium urbem et agros relinquere, qua de re in sequentibus hymnis saepe sermo fit; cf. 6, 27—29. 33. Putabant enim illi, Saporem, ut antea, simulac Mesopotamiam invaserit, Nisibin obsessurum esse.

V. Deplorat agrorum devastationem, qua Romani iter Saporis impedire voluerant. Conqueritur, non per hostes, sed per ipsos defensores arbores abcissas, segetes et vineas vastatas esse, rogatque Deum, ut fructus residuos conservet et sanet. Simul autem Nisibenos hortatur, ne de hac castigatione, quam ob peccata sua bene meruerint, murmurent, sed ut potius Deo gratias agant, quod ipsis pepercerit. Scriptum est carmen post interlunium, ergo post medium mensem Nisan 359, cf. 6, 24.

[2] Tempus lucri significat tempus messi proximum, quod in his regioni-

qui mercati sunt damnum pro laboribus suis, et tempore lucri detrimentum acquisiverunt! [3] Apertum est, hanc iram quasi dimidiantem in terra exstitisse, damnumque et lucrum in furore divisisse; alios enim destruxit repente, alios autem superbos fecit repente. [4] Ut doceret, se omnibus modis castigare posse, cum videret persecutores terribiles esse oculis meis, extendit me coram infantibus meis et flagellaverunt me hi dilecti mei. [5] Ecce docuit me, ut ipsum timerem et non hominem; cum enim nemo adesset, qui nos castigaret, repente ira ejus praecepit et unusquisque se ipse extendit, et flagellavit. [6] Illum quoque Babylonium, qui abduxerat omnes reges, cum elatione seductus se a nemine superari posse putaret, se ipsum propriis manibus castigantem fecit Deus. [7] Majestas et mens ejus simul repente evanuerunt et dilaceravit atque abjecit vestes suas, et egressus circumvagatus est in deserto. Ipse primus se expulit; et tum expulerunt eum servi ejus. [8] Hoc modo monstrabat omnibus regibus, quos captivaverat et deportaverat, se non sua ipsius fortitudine eos vincere potuisse, sed illam potentiam quae ipsum flagellaret, eos castigasse. [9] Tuli, Domine, flagellationes a defensoribus meis; tu enim gratia tua potes beneficia tribuere per adversarios, itemque justitia tua castigare per auxiliatores. [10] Cum exercitus aggrederetur et ascenderet Samariam, repente hostes saturitatem et delicias, thesauros et possessiones remiserunt, reliquerunt, fugerunt; coronavit eam Deus per persecutores ejus. [11] Me autem cinxerunt dilecti mei et curaverunt me defensores mei, sed ob peccatum incolarum meorum flagellaverunt me auxiliatores mei. Fac me bibere ex vitibus meis calicem consolationis! [12] Spicam et vitem conserva, Domine, per gratiam tuam; consoletur agricolam vitis vinitoris et laetificet vinitorem spica agricolae. [13] Spica et vitis inter se conjunctae sunt; messores enim in agro

---

bus in finem mensis Nisan incidit. Ammianus quoque 18, 7 docet, segetes crematas esse, *cum jam stipula flavente turgerent*. Cf. str. 22, secundum quam fructus tum florebant.

[3] Per devastationem illam agricolae omnia sua amiserunt, milites autem magnam praedam fecerunt.

[10] Cf. 2 Reg. 6—7.

vinum exhilarat et rursus vinitores in vinea panis fortificat. [14] Hae duae possunt quidem consolari afflictiones meas, multo autem magis potest nos consolari triunus, ita ut laudem eum, cujus gratia repente liberata sum. [15] Si autem is, cujus vita per gratiam servata est, abit murmurans de jactura possessionum suarum, talis ingratus est contra gratiam ejus, qui pepercit ei. [16] Hic enim in beneplacito suo destruxit aliud pro alio, destruxit possessiones et intactos reliquit possessores, destruxit plantas nostras pro animabus nostris. [17] Caveamus, ne murmuremus, ne forte ira expergiscatur et relinquat possessiones et feriat possessores, ut e fine discamus, quam benignus fuerit in principio. [18] Discamus, qua de re debeamus murmurare! Disce igitur, tibi murmurandum esse non contra persecutorem, sed contra voluntatem tuam, quae te ad peccatum perduxit, propter quod flagellata es. [19] Mittamus murmurationem et redeamus ad precationem; si enim possessor mortuus est, cessant etiam possessiones ejus; quando autem ipse in vita permanet, semper quaerit recuperare res perditas suas. [20] Multiplicentur consolationes per misericordiam incolis meis; residua et reliquiae consolentur nos in ira, et oblivisci fac per residuum moestitiam devastationis! [21] Sana et crescere fac, Domine, fructus, quibus prepercit ira. Similes sunt infirmis, qui evaserunt in peste. Fac me oblivisci per hos debiles tristitiam ob multos perditos! [22] Dum haec loquor, recordor, quod hoc mense insuper flos infirmus et aeger factus est. Utinam perveniat ad valetudinem, ut sit consolationi! [23] Evaserunt enim hi fructus occisioni, cum tollerentur fratres eorum et vites sine voce clamarent, quia abscissae erant et humi jacebant ante eas multae arbores, dilectae ab iis. [24] Ecce terra poscit consuetudinem plantarum, stipites deflent agricolas eosque flentes reddunt. Pulchri rami eorum se late extenderant et umbram praebebant, sed una hora detracti sunt. [25] Accessit securis et abscidit, ut ita dicam, agricolam. Abscidebantur

---

[20—22] Docemur hic, non omnes prorsus fructus et segetes destructos esse, sed quosdam incolumes remansisse, hos autem et ipsos morbidos fuisse.

[23] Vites in Oriente arboribus circumvinctae sunt, cf. 6, 18.

quidem arbores, sed agricola dolorem sentiebat; hic expertus est dolorem ab omnibus securibus, quibus arbores caedebantur.

VI. Carmen alterum ejusdem modi.

[1] Curram in afflictionibus meis ad medicum gratis sanantem; is, qui sanavit aegritudines meas primas et secundas, qui curavit tertias, medicabitur etiam quartis. (Responsorium: Medicare mihi, fili unigenite!). [2] Filii mei, Domine, biberunt et inebriati sunt per nuntios sinistros, quos miscuit ira; et irruerunt in decora mea et extraxerunt projeceruntque ornamenta mea et dilaceraverunt inclementer vestes et coronas meas. [3] Ecce aperuerunt me, ita ut denudata sim, postquam aliquam misericordiam nacta sum post primam et secundam denudationem; et post tertiam miserationem ecce denudaverunt me quarto. [4] Detraxerunt enim et abstulerunt vestes, ornamenta et hortos meos. Intuere, Domine, saccum, quo altare meum cinctum est, et miserere mei! Saccus fiat mihi, Domine, vestis salvationis! [5] Ecce non per castum castigasti me, Domine; e contra ante eum est contumelia ejus et post eum turpitudo ejus; tolerabilius enim est adulterium, quam matrimonium illius. [6] Ecce enim filiam habet uxorem et sororem tori sociam, et matrem, e qua egressus est, denuo regressus in matrimonium assumpsit. Coeli stupent, quod tali modo iram divinam provocat et nihilominus omnia ei prospere succedunt. [7] Etsi, Domine, multa

---

VI. Hoc quoque carmen vastationem agrorum per Romanos factam et fugam multorum civium deplorat, simul autem orat, ne Deus permittat, ut Persae urbe potiantur. Videtur ergo scriptum esse, quando Sapores ad urbem Nisibin appropinquabat. E str. 30 apparet, carmen circa 13. Maji scriptum esse. Tum temporis igitur valde timebant Nisibeni, ne Sapores urbem denuo obsideret. Quod non accidit, ut in prolegomenis demonstravimus.

[6] Notum est, in religione zendica quasi pietatem haberi, si quis proximas cognatas in matrimonium ducit. Vix credi potest, Persas nec incestum cum matribus exhorruisse, sed a quamplurimis scriptoribus ecclesiasticis confirmatur.

[7] Hic et ed. rom. III 208 D Persia nomine Assyriae donatur. Etiam Esra 6, 22 rex Persarum vocatur מלך אשור, quod nonnulli criticastri indicium contra authentiam prioris partis libri Esrae putaverunt, quamquam

sunt peccata mea, revera tam gravia sunt delicta mea, ut tradas castam castarum matrem Assyriae spurcae, matri contaminatarum?
[8] Cohibe eum, ne veniat et quatiat super me caput suum, et conculcet me calce sua et laetetur, quod nuntius gloriae suae ita commovit mundum, et amplius aliquid efferatur!
[9] Domine, videbant filii mei denudationem meam, immo lacrimantes denudabant me. Denuda me coram solis infantibus meis, qui dolent ob dolorem meum, nec irrideant me maledicti misericordiae expertes!
[10] Tulerant terrae meae fructus et delicias, bona in vineis et satietatem in agris; cum vero tranquilla essem, repente advenit ira.
[11] Fraudati sunt tum agricolae, coacervaverunt praedatores; hi destruxerunt, quod illi mutuati erant et severant. Una cum debito agricolae nunc etiam fames ejus non saturata remanebit, quia panis ei raptus est.
[12] Domine, fraudatus est agricola, quia mutuum dedit terrae, haec autem accepit depositum et dedit illud extraneo; quod mutuum acceperat ab agricola, reddidit praedatori.
[13] Zela super me, quia tua sum et tua sponsa, Domine! Apostolus, qui me tibi desponsavit, dixit mihi, te zelotypum esse, quia zelotypia maritorum est murus castarum.
[14] Maria commovit Samson, quia valde zelabat super mulierem, quamquam ea scelestissima erat et diviso in eum animo; serva igitur ecclesiam tuam, cui non est alius praeter te!
[15] Unusquisque, qui non zelat super uxorem suam, contemnit eam; zelotypia tantum potest indicare amorem, qui in ea reconditus est. Zelotypus vocaris, ut indices mihi amorem tuum.
[16] Cum enim talis sit debilis et procax natura mulieris, zelotypia eam semper sub timore tenere debet. Nominaris inter zelotypos, ut indices sollicitudinem tuam.
[17] Unusquisque possidebat, quod non suum erat; unusquisque egressus colligebat, quod non sparserat; ipse mihi praeparavi per peccata

---

Nehem. 13, 6 idem rex Babyloniae nominatur et 2 Regg. 23, 29; Thren. 5, 6 pro Babylonia Assyria posita est. Magna enim imperia, in Oriente sibi succedentia, tamquam unum regnum sub diversis dynastiis haberi poterant.

[1] Sensus hic est: Sufficiat, quod agri mei a nostris devastati sunt, nec insuper in hostium me tradas potestatem!

mea hanc diem confusionis. [18] Quomodo tolerabunt dolores suos operarii et vinitores? Illi enim absciderunt coram vinitore silvas ejus et abstulerunt greges agricolae, segetes autem ejus demessuerunt et asportaverunt. [19] Hi subjugaverant, severant, occaverant, araverant, plantaverant, crescere fecerant, nunc autem steterunt ex adverso lacrimantes et abierunt omnibus privati. Laborem habebant agricolae, proventum autem praedatores. [20] Nullum justum ordinem servaverunt, Domine, magistratus nostri in calamitate nobis infligenda. Si voluissent, ordinem servare potuissent, sed peccata nostra hoc non permiserunt. Ira enim divina eos ad praedandum impulit, quamquam haec calamitatis inflictio valde insipida erat. [21] Ad quem undique prospiciam, ut consolationem inveniam de plantis meis eversis et de praediis meis vastatis? Nuntius jubili pacis tristitiam a me depellat! [22] Noli me hostibus tradere, ne forte credatur, te mihi litteras repudii dedisse et me dimisisse et expulisse, ne me nominent desertam et ignominiosam. [23] Nihil habeo dignum, quod memoretur coram oculis tuis; cum ergo omnino contemptibilis sim, hujus unici recordare, quod alium non colo praeter te, mi Deus! [24] Quis me non defleat voce et lamentationibus, quia ante dies plenilunii fueram verecunda et coronata, et post dies plenilunii eram aperta et denudata? [25] Castae meae e thalamis egressae circumvagantur in agris; ira enim, quae omnes inebriat, graves matronas meas leves reddidit. Utinam

[18] Videmus ex hoc versu, milites romanos non solum segetes, vites, arbores devastasse, sed etiam pecora agricolis abstulisse.

[20] Accusat duces Romanos, quod inutiliter Mesopotamiam vastaverint, et magis praedandi causa, quam ad hostes arcendos. Hoc autem stultum consilium a Deo permissum esse ait, ut incolarum peccata eo punire.

[24] Vox ܒܨܝܪܐ significat proprie et etymologice tempus lunae decrescentis, seu tempus inde a plenilunio usque ad interlunium. Cf. Michaelis annotationem ad Castellum sub h. v. Plenilunium proprie nominatur ܒܨܝܪܐ ܡܫܠܡܐ *tempus decrescens plenum* cf. opp. Ephr. III 144 c, interdum autem simpliciter ܒܨܝܪܐ, cf. III 594 d; 604 a. b. c. d. In nostro autem carmine tempus lunae decrescentis intelligendum est, ergo totum prius dimidium mensis Aprilis, cf. 7, 3. Cum autem tempore vastationis jam messis proxime instabat, praestat, ut eam potius versus finem lunae decrescentis accidisse putemus.

ergo gratia tua, quae omnibus pacem tribuit, misereatur dilectarum mearum! [26] Matronae et puellae meae ecce clamant coram te, puellae vocibus suis, matronae lacrimis, virgines jejunio, castae meae in saccis suis. [27] Elevavi oculos meos in omnes plateas meas, et ecce desolatae sunt. Remanserunt decem incolae pro centum et mille pro myriade. Da pacem, rursus imple plateas meas tumultu incolarum meorum! [28] Reduc eos, qui foras effugerunt, et laetifica eos, qui intus remanserunt! Tam magna enim est gratia tua, ut extendi possit ad intraneos et extraneos. Colligant alae gratiae tuae pullos meos! [29] Oratio justorum meorum salvet fugitivos meos! Infideles enim depraedati sunt me et fideles sustentaverunt me, itaque contumelia affice per fideles eos, qui non crediderunt! [30] Appropinquaverant uno die duo festa simul sicut unum, festum ascensionis tuae et festum athletarum tuorum, festum texturae coronae tuae et memoria coronationis servorum tuorum. [31] Miserere, quia duplicata sunt nobis duo festa in uno die, et pro duobus festis simultaneis duplicata est nobis passio propter malos nuntios et tristitia ob devastationem! [32] Da pacem festis meis, quia cessavit utrumque festum meum, et pro gaudiis in solemnitatibus reliquiae meae, tremores et devastationes ubique in me inciderunt. [33] Reduc remotos meos, laetifica propinquos meos, ut praedicetur in regione nostra evangelium laetitiae et ego reddam tibi pro pace laudem per omnia ora!

[30—31] De hoc martyrum festo in 13. Maji incidente cf. prolegomena.— Festum ascensionis Domini commemorat S. Ephraem etiam II 408 a. Ejus festi praeterea mentio invenitur in Constitutt. apost. 5, 18 et apud S. Augustinum (ep. 54), qui illud ab apostolis institutum putat. — Liceat hac occasione observare, etiam festum natalitiorum Christi tempore S. Ephraemi apud Syros celebratum esse, cf. II 406. 415.

VII. Carmen ejusdem modi tertium.

[1] Ira venit, ut reprehenderet avidos, qui in pace licitati erant, defraudaverant et rapuerant. Per iram ditati sunt avari; ecce enim ea, qnae habebant, dispersa sunt, ut ea, quae non habebant, colligere possent. (Responsorium: Da pacem, fili, regioni nostrae!) [2] Per viginti annos afflictiones meae similes erant ramis, qui coarctati sunt per hiemem; quando vero veniebat tempus florendi, effloruerunt etiam afflictiones meae; cum fructu nostro maturuit ad castigationem cor nostrum. [3] In mense Nisan, tempore florum, effloruerunt mali nuntii; cum insisterent deliciae meae, insistebat calamitas mea; tempore ventilationis tritici erat mihi ventilatio vicorum. [4] Non enim fugerunt tres fratres Babylone ab igne, quem accenderunt homines, ob strenuitatem suam; sed a voluptate fugerant propter perfectionem suam. [5] Ignis sanctorum nigros hoedos albos reddere potest; ignis insipidorum potest mutare oves in pantheras versicolores. [6] Quot erunt ululatus mei, quos ejulabo in omnibus horroribus? quot erunt indignationes meae, quae maturescent ob omnes malos nuntios? quot erunt messes meae, quae peribunt omnibus mensibus? [7] Filii mei quidem pugnando me liberare conantur, sed propter ipsorum peccata Deus me castigavit; itaque ipse ille populus, qui me liberat, castigat me. Si vos cessaveritis peccare, confestim cessabunt

---

VII. Hoc carmen in fine mutilum demonstrat, miserias populi poenas esse ob peccata a Deo inflictas, et poenitentiam commendat, ut calamitates finiantur.

[1] Divites, qui tempore pacis (350—359) nonnisi rebus terrenis et divitiis augendis studuerant, nunc bona sua terrestria amiserunt, ut hac jactura edocti, ad spiritualia bona se converterent.

[2] Viginti anni inde ab a. 338 numerandi sunt, per quod tempus Mesopotamia quotannis plus minusve aut justis bellis, aut praedatoriis saltem incursionibus vernis tempore infestabatur.

[4] Sensus hic est: Nos calamitates nostras aegre ferimus, nec tamen a peccatis abstinuimus, quibus eas meruimus. Melius exemplum trium Danielis sociorum imitati essemus, qui forti animo ignem pati non recusaverunt, peccati autem contagionem diligenter evitaverunt.

castigationes. [8] Ob malos nuntios illi afflicti sunt, in ira cruciati sunt, in pace laborant ii, qui eo tempore, quo omnes homines libere respirabant et ingrati erant in gratiam, gratias ei agebant pro omnibus hominibus! [9] Saccus eorum humilis est pro me et cinis eorum sparsus est ob meam afflictionem; oratio eorum pro mea victoria et jejunium eorum pro mea liberatione est. Ecce culpa illa, quam humiles mei in se recipiunt, ab honoratis meis contracta est. [10] Omnibus enim temporibus magna est stultitia sapientium; scribae quoque et seniores zelaverant et interfecerant doctorem, qui docuit omnes gentes legem Moysis. [11] Sapientia in hoc saeculo merx valde damnosa est; illi enim, qui nonnihil stultus est, valde parvum annumeratur peccatum; peccatum autem illius, qui nonnihil sapiens est, omnem mensuram excedit. [12] Verbis aedificant et operibus destruunt, doctores enim multi, sed insipidi erant; os autem judicis utrumque est, judex et accusator. [13] Vae nobis, quia justitia in porta domus —

VIII (deest).

IX. — — [1] Afflictiones meae similes sunt iis Job, quem salvavit justitia tua; mei misereatur gratia tua. [2] In his duobus utilitas est, quod etiam non justi orationi studeant et quod etiam

---

[8—9] Laudat ascetas, qui pro peccatis populi satisfacere studebant, et vituperat clericos, quibus magna ex parte culpam irae divinae excitatae adscribit. Cf. III 205 f. 207 f. Nullo autem modo hac vituperatione Vologesen episcopum perstringit, quippe quem carm. 15 omnino sanctum et de populi miseriis innocentem praedicat. Sed ibidem str. 19—20 non obscure indicat, nonnullos e presbyteris se episcopo opponere et pacem ecclesiae turbare, Ariana sine dubio lue infectos. De his ergo hic quoque sermo est.

[13] Desunt complura folia (cf. annot. crit.). Supplendum fortasse proxime est: *in porta domus Domini incipiet*, vel simile quid. Certe hic versus mutilatus alludit ad Ezech. 8—9.

IX. Hoc carmen in initio mancum conqueritur, non solum hostes extra urbem bellum saevissimum gerere, sed etiam intra urbem cultores Beli idololatriam exercere et sacrificia offerre. Ait, Deum jam ideo victoriam concedere non posse, ne idolis postea pro ea honor tribuatur.

[1] Antea, ut e str. 2 apparet, exemplum peccatoris, qui per preces veniam impetravit adduxit, fortasse Manassis aut Achab.

non rebelles praevaricationem multiplicent. [3] Laborasti, ut filios castigares et adjuvares, et ne patres dolerent ob sonum flagelli tui, reliquerunt me in pace. [4] Intuere, Domine, silvas meas extraneas, quae abscisae sunt, vide sinus meos intraneos, qui ita debiles sunt, ut portare nequeam dilectos meos! [5] Gladiis absciderunt milites alas meas extraneas; rursus accendit ignis in sinibus meis intraneis tus sacrificii. [6] In campo mactaverunt filios meos adoratores Solis, in urbe sacrificaverunt tauros meos cultores Beli, oves meas cum infantibus meis. [7] Ululatio est in agris meis, planctus in atriis meis, horror in vineis meis, disturbatio in plateis meis; quis mihi sufficiens auxilium ferre potest? [8] Diabolus, qui dolose egit et rixas excitavit verbis suis, talem perturbationem mihi intus fecit, ut interiora mea omnino similia sint exterioribus meis. [9] Qua fronte te, Domine, invocare possum, ut mittas exercitum angelorum ad servandos sinus meos, qui impleti sunt immunditia? [10] Fermento tuo novo mundum imbuisti; fermento tuo assimila vetus fermentum blandiens et humilians! [11] Vincamus per manifestam pugnam tuae potentiae, ne forte error coronet pugnatores tuos, qui blande adhaerere solet! [12] Si intuemur in tempus nostrum, simile est nostrae fallaciae, cum in annis veritatis hariolationes administraverimus et in secreto incantaverimus. [13] Si hoc tempus inspicio, provocat et in apertum producit occulta, ut pudefiat fallacia nostra, quae veritate induta erat. [14] Vere omnia vincit veritas et mare amaritudine sua eam turbare nequit, quia pura est natura sua. [15] Bene, Domine, fecisti, quod sapientia tua in apertum produxit pruritum nostrum, ut insipidi a te deficerent, et quod victoriam denegasti, ne in errore confirmarentur. [16] In muris percussis, in quibus tu mihi victoriam dedisti, reddunt

[3] Alludit ad longam pacem intra annos 350 et 359.

[12]—[13] Apparet ex his, paganos Nisibenos antea non ausos esse, publice cultum suum exercere; tum autem, cum omnia per bellum perturbata essent, animum iis ita crevisse, ut publice sacrificia sua offerrent.

[16]—[17] Alludit ad obsessionem urbis a. 350, quo tempore pagani nulla sacrificia obtulerant, sed Christianorum preces liberationem a Deo impetraverant.

tibi ingrati sacrificia et libamenta, quae manifesto iram tuam provocant. [17] Si illo quoque tempore sacrificia oblata essent, error quoque putare posset, me per ea salvatam esse. [18] Tu autem per multiplicationes salvationum redarguisti utrumque, errorem idolorum et doctrinam magorum, et monstrasti, me per te salvatam esse.

X. Tertium carmen ejusdem modi de Anazit castello.

[1] Interfecti sunt infantes mei et filiae meae, quae extra me sunt; diruti sunt muri earum, dispersi infantes earum, conculcata templa earum. (Responsorium: Benedicta sit castigatio tua!). [2] Aucupes venati sunt columbas meas, quae, nidis suis in turribus relictis, fugerunt in loca profunda, ibique retibus captae sunt. [3] Sicut cera, quae liquatur igne, ita liquantur et solventur corpora filiorum meorum prae calore et siti in castellis. [4] Et pro fontibus

---

X. In hoc carmine poeta lamentatur de expugnatione oppidorum vicinorum, et praesertim Anzitae castelli, quod siti ad deditionem coactum erat; concludit per invocationem divinae clementiae. — Anzitam seu Ziatam sub finem obsessionis Amidae expugnatam esse Ammianus tradit; ergo hoc carmen ineunte autumno 359 scriptum est. De situ urbis Anazit seu, ut Dionysius Telmachrensis scribit, Hanazit (apud Ptolemaeum Ἀνζητα) cf. B. O. I, 249; II in dissert. de Monophysitis sub voce Anazit; III, part. II, 718. Nomen suum dedit regioni, quam Graeci Ἀνζιτήνη, Armeni Handzit, Syri ܐܢܙܝܛ vocant. Pro certo habeo, Anzitam eandem esse ac Ziatam castellum *capacissimum et munitum, ad quod promiscua confugerat multitudo*, quod tamen a. 359 a Persis expugnatum et incolae ejus captivi ad Saporem Amidam obsidentem ducti sunt (Amm. Marcell. XIX, 6). Ziata enim in vicinitate Amidae sita erat, quod bene cum Anzita convenit; nec credibile est, castellum, ut Ammianus affirmat, decem stadiorum ambitu, nusquam alibi commemorari. Noli denique nominis mutationem mirari, quae prorsus eadem est in flumine, quod mox Ζαβᾶς, mox Anzaba audit.

[1] Ammianus quoque narrat, praeter Ziatam iisdem diebus etiam alia munimenta rapta et incensa, eorumque incolas in servitutem abductos esse.

[2] De miserrima conditione Anzitenorum, qui post captam urbem servituri abducebantur, conferendus est Ammianus.

[3] Ex hoc et sequentibus versibus apparet, Anzitenos per nimium calorem et aquae inopiam ad deditionem coactos esse, antea autem multos ex iis siti exstinctos esse.

lactis, qui antea fluxerunt filiis et infantibus meis, nunc deficit lac lactentibus et aqua ablactatis. [5] Et excidit infans matri suae et animam agit, quia jam nec haec lactem praebere, nec ille sugere potest; exspirant igitur et moriuntur. [6] Quomodo gratia tua refrenare potest scaturiginem suam, cum impediri non possint abundantiae effluvii ejus? [6] Et cur retinuit gratia tua misericordiam suam et cohibuit effluvium suum a populo, qui clamat, ut humectetur lingua sua? [8] Et facta est fovea inter eos et fratres suos, quemadmodum accidit diviti illi, qui clamabat nec quisquam ei respondebat, ut humectaret linguam ejus. [9] Et sicut in ignem projecti sunt miseri, et calorem in siti afflavit iis ignis et arsit in iis. [10] Postquam vero corpora eorum liquata et a calore resoluta sunt, rursus ipsi sitientes terrae potum praebent putrescentibus cadaveribus suis. [11] Et castellum, quod necaverat incolas suos per sitim, rursus bibit fluxum cadaverum, quae liquata erant per sitim. [12] Quis unquam vidit populum ardentem prae siti, quem circumdat murus aquarum, et qui tamen non potest humectare linguam suam? [13] Judicio Sodomorum judicati sunt dilecti mei, et infantes castigati sunt cruciatu Sodomorum, qui tamen per unum tantum diem duravit. [14] Cruciatus ignis, qui per unam tantum horam duravit, Domine, videtur mors clemens et supplicium parvum, si comparatur cum tarda siti. [15] Domine, post moerores et passiones meas acerbas hoc aliud est solatium, quo me consolatus es pro eo, quod mihi multas has afflictiones parasti: [16] Medicamentum, quod exspectavi, est dolor decretus; vincturam, quam speravi, fractura acerba mihi paratura est. [17] Et cum sperassem, me evasuram esse e procella, pejor mihi erat procella ipsius portus, quam illa maris. [18] Cum putarem in im-

---

[11] Urbs Anzita ad partem Euphratis sita erat.

[15]—[16] Hoc unicum solatium mihi est in miseriis meis, quod scio, Deum me per eas emendare velle.

[17]—[18] Sensus hic esse videtur: Urbs Nisibis primo valde gavisa est, quod non ipsa a Persis obsidebatur, atque speravit, finem aerumnarum suarum jam venisse. Sed mox multo magis contristata est per urbium vicinarum expugnationem, quam fuerat antea per sui ipsius obsessiones.

peritia mea, me navem ad ancoras deligaturam et egressuram esse e fovea, rursus me in eam rejecerunt peccata mea. [19] Domine, vide membra mea, nam gladii spissi sunt in me, et impressi sunt brachiis meis, et stigmata telorum plantata sunt in latera mea. [20] Lacrimas in oculis, malos nuntios in auribus, planctus in ore, tristitiam in corde, noli mihi ultra adjicere, Domine.

XI. Quartum ejusdem modi carmen.

[1] Castigatio tua mater est imperitae pueritiae nostrae. Gratiosa est increpatio, qua deterres pueros a lusu, ut sapientes fiant. (Responsorium: Sit gloria justitiae tuae!.) [2] Perscrutemur justitiam tuam, quamquam nemo sufficit, mensurare ejus auxilia, per quam luxuriosi valde casti fiunt. [3] Multoties, Domine, curavit manus ejus aegrotos; est enim medica occulta dolorum eorum et fons vitae eorum. [4] Valde leniter digitus justitiae tuae amore et indulgentia palpat vulnera sanandi. [5] Valde jucunda et grata est amputatio ejus sapienti; acutum illius medicamentum per fortissimum amorem suum absumit mucorem. [6] Valde pulchra videtur ira ejus prudenti, sed exosa sunt medicamenta ejus insipienti, qui delectatur perturbatione membrorum suorum. [7] Valde sollicita est, ut obliget, quod amputavit; postquam percussit, miseretur; ex utroque enim producit sanitatem. [8] Ira ejus est valde pulchra et furor ejus jucundus et dulcis exacerbatio ejus, qua edulcat amaros, ut fiant suaves. [9] Causa otii est remissis cessatio tua; causa lucri est virga tua, qua pigros incitas ad negotiandum. [10] Causa afflictionis nostrae est justitia tua; causa relaxationis et pigritiae nostrae est gratia tua, quia insipida est intelligentia nostra. [11] Pharao se obdurabat propter gratiam tuam, quoties enim plagae ejus leniebantur, corroborata est malitia ejus et denegavit promissiones

---

XI. Demonstrat S. Ephraem, quam utilis sit castigatio ad emendandos peccatores, simulque conqueritur, multos Nisibenos, praesertim nobiliores, nec calamitatibus, nec salvationibus edoctos esse, sed per idololatriam iram divinam adhuc excitare.

[9]—[11] Castigatio divina saluti animarum multo utilior est, quam misericordia.

suas. [12] Itaque retribuit ei justitia pro eo, quod saepe deceperat sororem ejus dominatricem, gratiam, et ut impediret eum, quominus ultra divinam iram amplius provocaret. [13] Domine, redargue astutias meas, quae mentiuntur more Aegypti; preces autem meae persuadent, me non similem esse ei, quia non reliqui portam tuam. [14] Crux tua, Domine, quae stetit super scissuras meas apertas, restauret etiam occultas, quia pro externis interni me sciderunt. [15] Aqua diruperat et dejecerat turrim, in qua vici; peccatum nunc ausum est erigere templum, cujus me pudet; libamen ejus suffocat me. [16] Preces meas in muris meis audiverant persecutores et pudefactus est Sol ejusque cultores per magos suos, quia vici per crucem tuam. [17] Clamaverant creaturae, cum vidissent pugnam, veritatem, quae cum errore pugnabat in muris percussis et coronabatur. [18] Vis veritatis errorem flagellabat, per flagellationes suas sensit eam et per delicta sua didicit victoriam ejus. [19] Magnus est timor meus, quia post salvationem meam spectati et potentes, qui antea incubuerant altari meo, aedificaverunt in me alias aras. [20] Si septem sensus mei fontes essent lacrimarum, tamen non sufficerent lacrimae meae ad deflendam ruinam nostram. [21] Plateae in saccis et cinere clamabant, quia excitabantur per ludum, similem illi, qui erat in deserto coram vitulo. [22] Venenum assumit et induit pulchritudinem florum; et quando adhuc occulta sunt et abscondita germina eorum, jam secreto pullulant amaritudines ejus.

XII. Quintum carmen ejusdem modi.

[1] In afflictionibus meis invocabo potentiam, quae vincit omnia; haec enim potest vincere furiosum illum captivatorem, sicut vicit

---

[14]—[18] Recordatur urbis ab obsessione a. 350 liberatae, monstratque, quam ingrati fuerint Nisibeni contra Deum, cum nunc idololatriam sine pudore exerceant.

[22] Alludit ad idololatriam Nisibenorum antea occultam.

XII. Gratias agit Deo pro auxilio, quod hucusque praestitit, et orat, ut victoriam de hostibus concedat perfectam.

Legionem daemonem. (Responsorium: Sit gloria bonitati ejus!).
[2] Retribuit mihi malus diabolus debita, quae non mutua accepit a me, retribuit mihi etiam bonus Deus misericordias, quas non mutuas dedi ei. Venite, miramini utrumque!
[3] Bonus dividit et tribuit debita mea gratiae suae, injuriam autem, quam passa sum, justitiae suae; debita mea delevit gratia ejus, injuriam mihi illatam vindicavit justitia ejus.
[4] Peccatum irascebatur valde et remanebat in perturbatione, cum videret gratiam coarctantem libertatem, ut vinceret peccata.
[5] Incalesce, Domine et defunde amorem tuum, et aperire, profunde iram tuam; iram tuam ad perdendum, amorem tuum ad eripiendum captivos a captivatore.
[6] In diebus illis, quibus, tamquam fundâ, malus me in abyssum dejicere decreverat, bonus animam meam involvit et servavit in fasciculum viventium.
[7] Eloquentes illi, qui sine intermissione omni tempore praedicant, se servasse me in fluctibus et se sustentasse me, ne ceciderim, illi pro me gratias tibi agant, Domine!
[8] Cum enim nemo unquam sufficienter laudaverit misericordem gratiam, quae eum circumdat, ego quoque non potero sufficienter laudare misericordiam, quae me obvallat.

XIII. De S. Jacobo ejusque collegis.

Ad modum: Stupenda, Domine, sunt omnia, quae portasti.

[1] Tres nobiles sacerdotes, sicut duo luminaria, alter alteri detulerunt et tradiderunt cathedram et manus impositionem et

---

[4] Sensus hic est: Diabolus aegre ferebat, quod Deus per calamitates urbi illatas eam non perdere voluit, sed tantum liberum ejus arbitrium per castigationes ita flectere et emendare studuit, ut a peccatis absisteret.

[6]—[7] Haec ad tertiam urbis obsessionem spectant.

XIII. Hoc carmen praedicat S. Jacobum, ejusque successores, Babu et Vologesen, atque fata externa urbis Nisibis sub eorum episcopatibus describit, demonstrans, quam bene ea ad indigentias populi adaptata sint, et quomodo Deus per ea Nisibenos successive educare et ad perfectionem adducere voluerit. — Scriptum est Vologese superstite (str. 1. 2) et ante bellum a. 359 (4—9. 14—16), sed post legationes inter Romanos Persasque missas (4—6), ergo a. 358.

eam, fluvius superbus extra eam. Fluvius extrinsecus fraudavit eam, fons intus salvavit eam. [19] Sacerdos primus, vinitor ejus, ramos ejus adhuc in coelo crescere fecit. Ecce cum mortuus esset, sepultus est in ea et factus est fructus in sinu ejus. Cum igitur venissent amputatores, fructus in media ea salvavit eam. [20] Venerat tandem tempus amputationis ejus; intravit et abduxit vinitorem ejus, ne amplius preces pro ea fundere posset. Sed illa in astutia sua confestim posuit vinitorem suum in sinu suo, ut liberaretur per vinitorem suum. [21] Prudentes filiae Nisibis, imitamini Nisibim, quae posuit corpus intra se, ut fieret murus extra ipsam! Ita vos quoque deponite in vobis corpus vivum, ut fiat murus pro vita vestra!

XIV. Alterum carmen ejusdem modi.

[1] Tribus pastoribus multi suberant rectores; unicae matri in urbe multae filiae subsunt in omnibus regionibus. Postquam ira destruxit domos ejus, reaedificet pax ecclesias ejus! (Responsorium: Benedictus sit, qui elegit illos tres!). [2] Bonus labor primi circumligavit terram in afflictione ejus; panis et vinum medii urbem sanavit in confractione ejus; edulcavit amaritudinem nostram in afflictione dulce eloquium ultimi. [3] Primus coluit terram labore suo, eradicavit ex ea dumos atque spinas; medius circumsepivit eam, per salvatos sepem ei fecit; ultimus aperuit horreum domini sui et sevit in eam verba domini ejus. [4] Sacerdos primus per jejunium portas orum clauserat; sacerdos secundus propter

---

[19]—[20] Notum est, Nisibenos corpus S. Jacobi tamquam palladium urbis suae habuisse. Si Gennadio fides adhiberi debet, a Juliano Apostata hic thesaurus Nisibi abductus est, cui facinori paulo post traditio urbis successit.

[21] Monet urbes finitimas, ut et ipsae sacris reliquiis se muniant.

XIV. Hoc carmen laudatorium in eosdem tres episcopos interna eorum et spiritalia merita in urbem laudat, probatque, Nisibenos per eos profectum et incrementum accepisse. Eodem cum priore tempore scriptum est.

[1] Apparet ex hac stropha, dioecesem Nisibenam permagnam fuisse.

[2] Vologesis eloquentiam saepius laudat S. Ephraem in his carminibus, cf. str. 3. 4. 15. 16; 15, 7. 8; 17, 11; 18, 2.

[4] Babu captivos a Persis abductos pecunia redemit, cf. etiam 14, 23; 19, 16.

captivos ora marsupiorum aperuerat; ultimus autem perfodit aures et immisit in eas ornamenta vitae. [5] Aaron auribus detraxit inaures et fecit vitulum. Vitulus inanimatus occulte pupugit et interfecit exercitum; eos, qui fabricaverunt cornua ejus, ferivit cornubus suis. [6] Tertius autem sacerdos noster aures cordis perfodit et immisit in eas inaures, fabricatas ab ipso ex clavis, qui infixi erant in cruce, qua crucifixus Dominus ejus consortes suos salvificaverat. [7] Ignis morti filium genuit vitulum; mors quidem omnia corpora pascitur, filius autem mortis, qui ipsam mortem malitia superavit, hominum animas pastus est. Vitulus gramina deseruit, quia mentes erant pascua ejus. [8] Primo illi ligno mortifero filium genuit gratia, nimirum te, o crux, fili ligni, qui pugnasti contra patrem tuum; lignum erat fons mortis, crux erat fons vitae. [9] Filium mortis omnia ora aperta execrantur, quia devoravit corpora et animas, et multiplicavit contumeliam patris sui. Crux autem delevit contumeliam patris sui, primi ligni. [10] Uterque filius assimilatus est matri, quae peperit eum; vitulum, quem ignis peperit, ignis quoque consumpsit in populo; crux autem, filius gratiae, mundo beatitudines largita est. [11] O lingua mea, quiesce et retice miras historias crucis; animus meus enim repente concepit eas, sed parturitiones earum ipsum percutiunt; concepit eas inter ultimas, sed primogenitae fieri volunt. [12] Pugnaverunt infantes in utero, senior acceleravit egressum suum, sed junior diligens primogenituram retinuit calcem ejus manu sua, et quod non acceperat per partum, accepit postea per pulmentum. [13] Hoc modo res ultimae vilipendunt primas, ut egrediantur et arripiant primogenituram. Nunc demum tempus est res patrum nostrorum animo gignendi. Ecce enim res crucis primogenitae sunt totius creaturae. [14] Si enim is, qui sine ullo initio est, no-

---

7 — 14 Commemoratio vituli aurei et s. Crucis poetam ad longiorem degressionem inducit, qua primum utrumque comparat. Tum autem se reprehendit, quod post laudationem episcoporum Nisibenorum de cruce disseruerit, quae tamen omnium rerum antiquissima sit, cum in ea aeternus Deus pependerit.

13 — 14 Poeta concedit, sibi primo de cruce Domini, [illegible] de

minatur primogenitus omnium creaturarum, tum etiam res ejus primogenitae sunt et antiquiores omnibus creaturis. Res tuae, Domine, nunc nobis concedant, ut loquamur de ministris tuis. [15] Oratio primi in primo doctrinae gradu constituti similis erat gradui ejus; explanatio medii in secundo gradu aequabat gradum ejus; oratio ultimi in tertio gradu magnifica erat sicut ipse. [16] Primus verbis simplicibus dedit lac infantibus suis; medius facilibus dedit cibum pueris suis; tertius verbis perfectis dedit escam adultis suis. [17] Etiam ipsa alumna per singulos gradus transivit cum magistris et patribus suis; erat puella cum primo, adolescentula cum medio, perfecta cum tertio. [18] Primus dilexerat et perterruerat eam, sicut puellam; medius increpuerat et laetificaverat eam, sicut adolescentulam adhuc indoctam; ultimus erat ei quies jucunda sicut edoctae. [19] Filia Jacobi in infantia sua directa est ab Altissimo per blandimenta et virgam, in superbia autem et juventute sua per gladium et legem; et quando castigata et edocta erat, venit ei quies et jucunditas. [20] Primus pater gregis in sinu suo portavit infantiam ejus, medius laeta facie cantu suo demulsit et laetificavit puellarem aetatem ejus; ultimus gravi vultu castam fecit juventutem ejus. [21] Sacerdos primus, qui eam genuit, dedit lac infantiae ejus; sacerdos medius explanavit et dedit cibum puellari aetati ejus; sacerdos tertius nutrivit et dedit escam adultae aetati ejus. [22] Primus pater dives thesaurizavit infantiae ejus; medius juventuti ejus multiplicavit viatica ad profectum ejus; tertius, praeclara illa oliva, multiplicavit oleum in vasis ejus. [23] Quando pervenerit ad divitem, monstrabit thesaurum primi; quando pervenerit ad salvatorem, monstrabit pretio solutos medii; quando egressa erit, ut sponso obviam iret, monstrabit oleum luminum suorum. [24] Coram eo, qui recompensat laboratores, offeret laborem primi; coram eo, qui diligit beneficos, offeret eleemosynam

---

episcopis loquendum fuisse; tum rursus ad eorum res gestas laudandas se convertit.

[17] Alumnam ecclesiam Nisibenam esse per se patet.

[19] Sub filia Jacobi populus judaicus intelligendus est.

medii; coram eo, qui judicat doctrinas, offeret disputationem ultimi. [25] Et quando hi tres, quorum alumnus ego peccator esse studui, videbunt, Christum mihi claudere portam paradisi sui, tum orationibus pro me intercedant, ut portam suam paululum aperiat mihi! [26] Tum inferat se et intret peccator cum gaudio et timore ad videndam gloriam; tum advocent benigniter tres illi magistri unum discipulum, ut colligat sub mensis frustula vitae plena.

XV. Ad modum: Deus, quem dilexistis.

[1] Si non rectum esset caput nostrum, fortasse membra murmurare possent, quod propter caput perversum iter membrorum perturbaretur, et omnem culpam in caput conferre possent. (Responsorium: Benedictus sit, qui te elegit gloriam populi nostri!). [2] Si autem nunc capiti nostro omnino pulcherrimo culpam adscribimus nostrae odiositatis, quanto magis hoc faceremus, si ipsum odio dignum esset! De Deo etiam, cum ipse suavis sit, conqueruntur amari. [3] Similes estote capiti, membra! Conquirite pacem per ejus puritatem, suavitatem per ejus quietem, gloriam per ejus sanctitatem, et doctrinam per ejus sapientiam! [4] Acquirite vobis saporem per ejus prudentiam et castitatem per ejus gravitatem et dona per ejus paupertatem. Cum ipse omnino abunde

XV. Summis laudibus effert Vologesen episcopum, eosque reprehendit, qui in illum rebellaverunt. Ait, Deum primo Nisibenos per bella continua et episcopos asperiores educare et emendare studuisse, tum autem eos pace et episcopo mitissimo (Vologese) donasse, quia eos jam satis edoctos et maturos censebat; ob eamque causam etiam Vologesen summa semper lenitate in populum usum esse. Populus autem hanc sapientem Dei dispositionem perturbavit, quia per omnes calamitates non eruditus et emendatus est, sed e contra dissidia movit, ideoque Deus eum iterum per hostes castigare coactus est. — Rebellionem illam praecipue a clericis haereticis molitam esse, apparet ex str. 18—20 et e carm. 7, str. 9—13. — Scriptum esse videtur a. 359, tum propter convenientiam cum carm. 7, tum quia jam novi incursus hostiles in str. 20 commemorantur.

decorus sit, nos quoque omnino decori simus cum eo! [5] Videte, quomodo mensurata et ponderata sint verba et opera ejus; attendite, quod vel ipsi gressus ejus mensuram quietam habent! Totus enim se totum refrenat. [6] Dominabat ille juventuti suae et subjugabat eam sub jugum castitatis; non ad luxuriam illiciebantur membra ejus, quia semper sub virga tenebantur. Voluntas ejus erat ei necessitas. [7] Praematuravit se ad gradum sacerdotii, dum antea maturavit mores suos, ponendo fundamenta sua firmiter. Jam erat caput in juventute sua, quo tempore praedicator populi factus est. [8] Nobilis erat inter praedicatores, et studiosus inter lectores, disertus inter sapientes, castus inter fratres suos et gravis inter dilectos suos. [9] In duabus habitationibus anachoretam agebat ab ipso initio vitae suae; erat enim sanctus in corpore suo et solitarius in domo sua; in occulto et in aperto castus erat. [10] Etiam quando nos, fratres mei, perturbavimus has mensuras et perdidimus saporem, et nobis ipsi doctores esse voluimus ad perfectionem, quae nos vocavit, [11] tamen in illo vase suo mensura veritatis se conservabat; elegit id, quia vidit, quod ipsum elegerat eam, et conservavit in eo odorem et gustum suum ab initio usque in finem. [12] Caput illud castum et grave, quod non erat iratum nec durum, nec peccabat sicut nos, continuit et servavit mensuras suas et frena injecit cogitationibus suis. [13] In se ipso exemplum praebuit, ut, sicut ipse servaret mensuram temporis sui, nos quoque deceret cognosse tempus nostrum; nos vero alieni facti sumus tempori nostro, quia in tempore saporis insipidi facti sumus. [14] Fructum castigat in initio flatus venti vehementiâ suâ et tempore medio vehementia solis; si autem praeteriit vehementia ejus, fructus in fine dulcedinem acquisivit. [15] Nos autem

---

[7] Vologesi jam in juventute sua munus concionatoris injunctum est ob praecipuam suam eloquentiam et sanctitatem.

[13] Hac et sequentibus strophis conqueritur poeta, quod Nisibeni, qui jam per tot castigationes et admonitiones sapientes facti esse deberent, aetatem virilem et prudentem sibi convenientem non agnoscerent et retinerent, sed rursus puerilem insipientiam prae se ferrent, eaque iram Dei in se moverent.

castigaverunt primi et increpuerunt medii, et amplius edulcaverunt nos ultimi; sed cum venisset gustatio nostra, magna erat insipiditas nostra. [16] Pervenimus enim ad perfectam aetatem, ut dedoceremus pueros lusum et perduceremus eos ad gravitatem; sed indigebat adhuc senectus nostra, ut increparemur sicut pueri. [17] Itaque benignus pastor patienter nos tulit, nec vim adhibuit, ut honoraret senectutem nostram; quae cum non ipsa cognosset gradum suum, magnificetur tamen is, qui cognovit tempus ejus. [18] Et si quis dicat, populum vi et virga dirigendum esse, sicut furem territione et praedatorem comminatione et insipientes ignominia, [19] respondendum est, quod, si cum primo capite cucurrissent membra secunda, post se traxissent tertia, et totum corpus omnino ea secutum esset. [20] Sed secundi contempserunt primos, et tertii secundos; alter gradus alterum despexit. Cum igitur interni se invicem contemnerent, conculcati sunt etiam ab externis.

XVI. Carmen alterum ejusdem modi.

[1] In hoc reprehendendum est speculum, si obscurata est claritas ejus per maculas, quae in ipso sunt; est enim squalor super

---

[17] Vologeses valde benigne cum populo sibi subdito agebat, eumque fere non talem spectabat, qualis revera erat, sed talem, qualis esse debebat. Populus ergo vituperandus est, qui dignitatem sibi convenientem neglexit, episcopus autem laudandus, qui cum eo, tamquam cum perfecto et erudito, agebat.

[18—20] Si aliquid in Vologese reprehendendum esset, hoc nimia lenitas videri posset. Sed nec haec ei jure objici potest; si enim clerus eum adjuvisset, nec e contra adversus eum rebellasset, conjunctis episcopi et cleri viribus etiam populus in melius reformatus esset. Sed clerici per inobedientiam suam praecipui auctores miseri et perturbati status facti sunt, et propter eos Deus urbem per hostes castigat. — Sub primo capite seu primis intelligendus est episcopus, sub secundis clerici, sub tertiis laici. Hos clericos Arianae haeresi favisse putamus, cf. carm. 7, ubi de iisdem sermo incidit.

XVI. Ait, Deum in initio tantum homines terrore et lege coercere, postquam autem eos hoc modo sufficienter praeparaverit et educaverit, coercitionem tollere et ab iis, tanquam ab adultis et prudentibus, poscere, ut libero cordis assensu, non poenae timore commoti, bonum eligant volunta-

ipsum obductio coram spectatoribus. (Responsorium: Benedictus sit ille, qui expolivit speculum nostrum!). [2] Si neque pulchritudo per id ornari, neque macula per id reprehendi potest, omnino damno est pulchris, quia tum pulchritudines eorum nequeunt lucrari ornamenta sicut lucra. [3] Tum maculae non exstirpantur per id, nec ornamenta multiplicantur per id; quod macula remanet, est sicut damnum; quod ornamenta desunt, est sicut defectus; conjungitur cum damno defectus. [4] Si speculum nostrum obscurum est, omnino laetantur de eo turpes, quia reprehendi nequeunt maculae eorum; si autem expolitum est et luminosum, libertas nostra, quando vult, ornari potest. [5] Duplicatur damnum per defectum turpibus et pulchris, quando nec pulchri coronantur, nec turpes ornantur; dividit speculum damnum. [6] Nunquam adduxit speculum per vim eum, qui in id intuetur, nec gratia, quae venit post justitiam legis, possidet vim coercitivam legis. [7] Justitia erat pueritiae ornatrix coercitiva; cum enim genus humanum adhuc esset in aetate puerili, ornaverat id per vim, quamquam libertatem ejus non abstulit. [8] Per blandimenta et virgam cohibuerat justitia pueritiam; quando percussit eam, excitavit eam. Virga ejus petulantiam abegit, blandimenta ejus molliverunt animos — — —

— — — [9] qua hodie ornamur, fratres mei, ad aliud evangelium, sicut puer est; in tempore magnae rationis factus est ratione cârens. [10] Talis enim ex gradu perfectionis descendit ad

---

temque divinam perficiant. Eandem methodum divinam etiam in episcoporum Nisibenorum successione ostendit, severitatem S. Jacobi et Babu cum lenitate Vologesis comparans. In fine denique carminis conqueritur, quod Nisibeni hanc Dei intentionem frustraverint, cum per peccata sua Deum ad iteratam castigationem impulerint. — Eidem cum praecedente carmine tempori adscribendum est.

[1]—[8] Episcopus comparatur cum speculo; si ipse malus est, duplex detrimentum efficitur, positivum, quod mali emendari nequeunt, et negativum, quod boni in virtutibus non progrediuntur. Nisibeni autem hanc excusationem non habent, sed libero arbitrio peccant, abutentes evangelica illa lenitate, qua Vologeses, omni vi seposita, cum iis agit.

[8] Post hanc stropham circiter sex sequentes desunt, cf. annot. criticam.

[9] Fortasse supplendum est: si quis autem avertit se a gratia, qua hodie etc.

infantiam et dilexit legem illam servorum, quae percutit eum, quando audax est, et colaphizat, quando laetatur. [11] Omne ornamentum per vim extortum non est verum, sed adscititium. Illud magnum habetur coram Deo, si quis ex ipsius voluntate ornatus est; itaque vim abstulit. [12] Sicut enim prudenter suo tempore vim adhibuit, ita prudenter quoque suo tempore abstulit eam, cum pro ea lenitas requireretur. [13] Sicut enim valde consonum est, ut juventus ponatur sub virga, ita valde odiosum est, ut sapiens aetas virgae subjiciatur et vis in eam dominetur. [14] Vide ergo, quomodo ordinaverit Deus successiones meas in pastoribus, qui mihi fuerunt, et in doctoribus, quos mihi dedit, et in patribus, quos mihi tribuit. [15] Appensa enim erant cum temporibus eorum adjumenta, quae iis propria erant; territio, ubi decebat, et confortatio, ubi proderat, et lenitas, ubi conveniebat. [17] Per mensuram ambulare fecit gressus meos; pueritiae meae dedit territionem, juventuti meae timorem, sapienti et prudenti aetati meae dedit lenitatem. [17] In procace aetate pueritiae erat mihi educator metuendus, cujus baculus me deterruit a lusu, et horror ejus a vitio et timor ejus a voluptate. [18] Alium patrem dedit juventuti meae, qui durus erat, in quantum ego pueriles mores retinebam, sed lenis, in quantum senili prudentia utebar. [19] Cum autem reliquissem gradus pueritiae et juventutis, evanuit terror primus et timor secundus, et dedit mihi Deus pastorem mitem. [20] Ecce enim esca ejus convenit perfectioni meae, et explanationes ejus sapientiae meae, et lenitas ejus quieti meae, et benignitas ejus tranquillitati meae, et gravitas ejus castitati meae. [21] Laudetur is, qui tamquam librâ appendit et dedit mihi patres, ita ut adjumenta mea convenirent temporibus meis et medicamenta mea doloribus meis et pulchritudini meae ornamenta mea! [22] Nosmet ipsi igitur perturbavimus pulchram hanc successionem et ordinem, quia in tempore lenitatis poscimus duritatem et te cogimus ad increpandum nos, sicut pueros.

---

[17] Haec stropha S. Jacobum describit, sequens Babu, undevicesima Vologesen.

XVII. De Abraham episcopo Nisibis.

Ad modum: Interfecti erant infantes.

[1] Permitte, Domine, etiam meae paucitati, ut injiciat quadrantem suum in thesaurum tuum, sicut mercator gregis nostri, qui foeneratus est talentum doctrinae tuae et vita decessit et ad portum tuum egressus est. Loquar de subpastore ejus, qui factus est caput gregis. Erat discipulus illorum trium et factus est magister quartus. Laudetur is, qui eum fecit consolationem nostram. [2] In uno amore pingam et in una corona nectam flores illustres et suaves magistri illius et discipuli ejus, qui remansit post eum sicut Elisaeus. Efferbuit cornu electionis ejus et perfectus est et factus est caput, elevatus est et factus est magister. Laudetur ille, qui illum principem fecit! [3] Et laetati sunt caelestes patroni gregis, quod adhuc gregem pascunt per pastorem, quem ipsi paverunt; laetata est habitatio pastorum, cum viderent successionem graduum suorum. Deus tulit et infixit eum sicut animum magno corpori ecclesiae, et circumdant eum membra ejus, ut emant ab eo vitam, doctrinam, novum panem. Laudetur ille, qui fecit eum thesaurum nostrum! [4] Elegit eum ex multitudine pastorum, quia dederat probationem firmitatis suae; tentavit eum tempus in grege, et exploravit eum diuturnitas sicut catinus. Quia se ipsum exploraverat, factus est murus pro multis. Jejunium tuum sit arma regioni nostrae et oratio tua scutum urbi nostrae! Turibulum tuum

---

XVII. Hymni 17—21 in laudem Abrahami, Vologesis discipuli et successoris, dicti sunt aestate a. 363, paulo ante deditionem urbis (cf. prolegg.). — Carmen 17. laudes Vologesis canit, simulque laetatur, quod tam dignus successor ei substitutus est. Tum ei consilia dat, quibus munere suo optime perfungi possit.

[4] Apparet ex hoc loco, tus jam saec. IV. in ecclesia christiana adhibitum esse, quod negavit Drey (über die constitutionen und canones der apostel, pag. 367—370). Hic enim tus sensu symbolico positum esse nequit, quia hoc loco res externae nominantur, quibus internus effectus optatur. Cf. opp. III 488 b. 496 d. 505 e. 518 a. 528 d. e.

reconciliationem obtineat! Laudetur ille, qui sanctificavit altaria
tua! 5 Pastor, quem mors a grege avocavit, paverat eum in pratis
spiritalibus et defendit eum contra lupos occultos per insigne baculum suum. Exple locum magistri tui, qui sitit sonum canticorum ejus! Erige te sicut columnam in urbe populi perterriti
et fulci eam precibus tuis! Laudetur ille, qui fecit te columnam
nostram! 6 Tradidit manum suam discipulo suo, cathedram tali,
qui dignus erat, clavem tali, qui se fideliter gesserat, gregem tali,
qui illustris erat. Decet manum tuam misericordia et sacrificium
tuum propitiatio et linguam tuam consolatio. Pax ornet gubernationem tuam, intus sint custodes et extra congregationes. Laudetur ille, qui te elegit ad gaudia nostra. 7 Doctrina tua superabundet magis in operibus, quam in verbis! Paucis verbis seminatis excole terram nostram per opera, ut per multifariam agriculturam ditetur semen exiguum! Proventus seminis veteris veniet
in nobis tricies, et novum semen tuum sexagies. Laudetur ille,
qui multiplicavit centies! 8 Ira in te cessat, quia pax fluit super
te omnino; zelotypia in te exstincta est, quia charitas tua semper
ardet; confregisti stimulum invidiae, ne quem occulte percutiat;
ad calumniam perturbantem non direxisti auditum tuum, quia
aperta veritate delectaris. Laudetur ille, qui ornavit membra tua.
9 Da consilium in populo tuo, sicut Jethro inter Hebraeos; omnino
ejus sententiam amplectere, qui tibi utile consilium dat, fuge omnino ab eo, qui aliud consilium tibi dat! Roboam sit tibi signum!
Elige utiles consiliarios! Laudetur ille, qui dedit sapiens consilium!
10 Donatio, quae tibi credita est, a coelo devolavit; noli eam nominare nomine hominis, noli eam alii potestati tradere, ne ad regionem ejus perveniat diabolus insidiosus, credens, eam ab hominibus tibi datam esse et hanc donationem, hanc dominam humanae servituti subjectam esse. Laudetur ille, qui donationem
suam demisit! 11 Magister tuus in te pictus est; ecce omnes similitudines ejus in te inveniuntur; remansit nobiscum, quamquam e vita discessit. In te videamus tres illustres illos, qui nobis decesserunt! Fias nobis murus sicut Jacobus, et plenus misericordiae sicut Babu et thesaurus verborum sicut Vologeses. Laudetur ille,

qui pinxit eos in uno! [12] Nec ego, faex gregis, retinui, quae dicere fas erat; pinxi imaginem duorum illorum coloribus duorum, ut videat grex ornamenta eorum et pulchritudines eorum. Et postquam fui agnus loquens, te, o Deus Abraham, in statu Abram glorificabo. Laudetur ille, qui fecit me citharam suam!

XVIII. Ejusdem modi.

[1] O tu, qui sacerdotium tenes post magistrum tuum, gloriosus post illustrem, castus post gravem, vigil post jejunantem, propter te magister tuus non reliquit nos, quia in te vivo illum mortuum adhuc videmus. Ecce enim in te pictae sunt similitudines ejus et notata sunt vestigia ejus, et ille omnino ex te resplendet. Laudetur is, qui dedit nobis te pro illo! [2] Fructus, in quo picta est arbor ejus, proclamat etiam de radice sua. Neque ita defecit nobis usque ad hoc tempus gustus suavitatis magistri tui. Tu enim demonstras verba ejus corporaliter, perficiendo ea operibus. In vita tua picta est doctrina ejus et in actionibus tuis explicatio ejus et in perfectione tua explanatio ejus. Laudetur ille, qui resplendentem fecit gloriam tuam! [3] O pastor ultime, qui factus es magnus et caput membrorum tuorum, junior, qui accepisti primogenituram, non per pretium sicut Jacobus, nec per zelotypiam, sicut Aaron, quem zelati erant fratres ejus levitae, sed per charitatem, sicut Moyses, quamquam senior erat quam Aaron; eodem modo etiam laetantur te fratres tui. Laudetur ille, qui elegit te in unanimitate! [4] Nulla est invidia vel zelotypia inter membra corporis; nam in charitate ei subjecta sunt et in misericordia ab

---

[12] Status Abrami est procumbentis in faciem suam, cf. Gen. 17, 3.

XVIII. Omnes gaudent electione novi episcopi, quia sanctitate et virtutibus tam similiter praedecessoris imaginem refert. Porro laudat Abrahamum, quod fortiter Juliano Apostatae restitit, eique in cura animarum bonum successum optat.

[3] Abrahamum junioris aetatis fuisse, cum in episcopum eligeretur, dicitur etiam in str. 5 et in carm. 19, 2.

eo inspiciuntur. Specula est caput membris, prospiciens in omnes partes. Altus ille et humilis gratiose usque ad pedes se humiliavit, ut auferret ab iis damnum. Laudetur ille, qui immiscuit nobis charitatem tuam! [5] Parvum scilicet hoc fuisset, si per senem victa esset idololatria. In sapientia sua subjacuit senectus, in tempore suo vicit juventus. Juvenis enim athleta sustulit pugnam odiosam, quam ausa est vis idololatriae; sed invaluit et exstincta est sicut fumus; una cum initio ejus erat finis ejus. Laudetur ille, qui inflavit in eam, ut exstingueretur. [6] Vox cornus repente obstupescentem fecit et vocavit te ad pugnam. Intrasti sicut novus David et victus est a te alter Goliath. Non ignota erat tibi pugna, quia omni die contra diabolum proelium gerere consueveras. Secreta exercitatio solet afferre coronam manifestam. Laudetur ille, qui te elegit gloriam nostram! [7] Ante tentationem exercuit Job corpus et animum suum, ideoque vicit in tentatione. Vicit Joseph in cubiculo, Ananias et socii ejus in fornace, Daniel in fovea. Stulte egit diabolus, quia tentando eos confirmavit victoriam eorum secreto et auxit suam ipsius cladem aperte. Laudetur ille, qui multiplicavit contumeliam ejus! [8] Et agricolam qui apostatavit et spinas serere inceperat per servos suos, sinistram partem, zelatus est verus agricola et abscidit, amputavit sinistram partem. Implevit dexteram suam et sevit in cor verba viva. Et ecce excolitur mens nostra per prophetas et apostolos ejus, per te excolantur animae nostrae! Laudetur ille, qui elegit te agricolam nostrum! [9] Et si verba tua non sufficiunt, excole terram nostram operibus, ut per multifariam agriculturam roboretur canna et radix. Melius est bonum opus, quam auditus decem millium verborum. Semen tuum veniat centies, et messis serotina sexagies, etiam frumentum sponte nascens trigesies! Laudetur ille, qui multiplicavit proventus tuos! [10] Lumen obscurum esse non decet, sal insipidum esse non licet, macula capiti non convenit, nec sordes speculo. Si enim medicamenta insipida sunt, dolores etiam sanari nequeunt, et si lucerna obscura est, multa quoque offendicula

---

[5]—[6] Haec de regno et morte Juliani intelligenda sunt.

sunt. Lumen tuum expellat tenebras nostras! Landetur ille, qui fecit te lampadem nostram! [11] Constitue tibi legisperitos et judices, exactores et datores, inspectores et curatores, unicuique proprium opus assigna, ne per nimiam curam rubiginem trahat nec per sollicitudinem abstrahatur mens tua cum lingua tua, qua offers precationem in expiationem universi populi. Laudetur ille, qui illustravit ministerium tuum! [12] Non sufficit sacerdoti et nomini ejus, offerenti vivum corpus, purgare animum et mundare linguam et expurgare manus et clarum reddere totum corpus, sed omnino purus esse debet omni tempore, quia positus est sicut mediator inter Deum et genus humanum. Laudetur ille, qui mundavit ministros suos!

XIX. Ejusdem ipsius modi.

[1] Respondes nomini tuo, Abraham, quia tu quoque factus es pater multorum. Sed quia tibi non est uxor, sicut Sara Abraham, ecce grex tuus est uxor tua. Educa filios ejus in veritate tua; fiant tibi liberi spiritus et filii promissionis, ut fiant haeredes in Eden. Laudetur ille, qui pinxit te in Abraham! [2] O fructus pulcher castitatis, in quo sacerdotium complacuit, minime natu fratrum tuorum, sicut filius Jesse; cornu efferbuit et unxit te, manus incubuit tibi et elegit te, ecclesia optavit et dilexit te. Altare purum destinatum est ministerio tuo, cathedra magna honori tuo, et omnia simul coronae tuae. Laudetur ille, qui multiplicavit coronationem tuam! [3] Ecce, beate, surge et inspice gregem tuum, o sedule! Sicut Jacob ordinavit greges suos, ita tu quoque

---

[11] Monet Abrahamum, ut ad res mundanas et externas curandas adjutores sibi adsciscat, nec tempus viresque suas in talibus officiis consumat, sed totus rebus spiritalibus, cultui divino, animarum saluti studeat.

[12] Insigne hic habemus de missae sacrificio testimonium. Cf. opp. III 555 e.

XIX. Abrahamo salutaria consilia suadet ad plebem ei commissam regendam et salvandam.

[2] Enumerantur hic omnia, quae ad episcopi institutionem pertinent, ecclesiae scilicet suffragium, unctio et manus impositio. Unde liquet, in antiqua Syrorum ecclesia notum fuisse ritum ordinandos chrismate ungendi, quod negat Assemanus B. O. I, 94. Idem ritus commemoratur etiam 17, 2.

ordina oves loquentes et illustra ascetas pure et virgines caste,
institue sacerdotes gloriose et praesules leniter et congregationem
laicorum juste! Laudetur ille, qui te prudentia implevit! 4 Ovem
sanam conserva et infirmam cura et confractam obliga et erran-
tem custodi! Pasce eam in pratis scripturarum et potandum ei
praebe fontem doctrinae! Constantia sit tibi murus et crux baculum
et veritas pax! Laudetur ille, qui multiplicavit virtutes tuas!
5 Sit tecum in grege potestas illa, quae fuit cum David; si enim
hic agnum errantem ex ore leonis eripuit, quanto magis tibi, o
illustris, zelandum est, ut diabolo eripias animam, quae pretiosior
est quam alia omnia, quia nulla alia re emta est, quam sanguine
Christi! Laudetur ille, qui venditus est et emit omnes! 6 Josue
Moysi ministraverat et pro mercede ministerii sui dexterae impo-
sitionem accepit ab eo. Tibi quoque praeclarus senex, cui mi-
nistrasti, dexteram tradidit. Moyses Josue commisit gregem, qui
dimidia ex parte lupis constabat; tibi autem commendatus est grex,
cujus quarta vel tertia pars sancta est. Laudetur ille, qui or-
navit gregem tuum! 7 Amor Moysis habitet in te, quia amor ejus
erat amor prudens et zelus ejus zelus discretus. Cum Core et
Dathan scissuram fecissent, scidit terram sub iis et per scissuram
avertit scissuram. Per Eldad et Medad autem testatus est, nihil
sibi magis esse in votis, quam ut totus populus prophetaret. Lau-
detur ille, qui reconciliatus est beneplacito suo! 8 Paupertatem
Eliae dilexit Elisaeus prae divitiis; itaque dedit pauper pauperi
donum aliis omnibus pretiosius. Eodem modo quia tu dilexisti
egestatem magistri tui, qui in secreto dives erat, ex te scaturiet
fons verborum ejus, ut fias cithara spiritus et canas in te bene-
placita ejus. Laudetur ille, qui fecit te custodem thesauri ejus!
9 Nemo invidet electioni tuae, quia humilis est principatus tuus;
nemo irascitur ob increpationem tuam, quia pacem serit verbum
tuum; nemo timet vocem tuam, quia grata est visitatio tua; nemo
infremit contra jugum tuum, quia laborat pro nostro collo et
levat onus animarum nostrarum. Laudetur ille, qui elegit te
ad quietem nostram! 10 Noli provocare magnates, noli despe-
rare de perversis! Emolli et doce divites, hortare et lucrare

tibi pauperes! Duro adjunge tolerantem et iracundo longanimem; excipe malos per bonos et praedatores per donatores, et maculatos per sanctos! Laudetur ille, qui fecit te venatorem nostrum! [11] Recipe tibi decem millia medicamentorum et surge, ambula inter prata! Aegroto da medicamentum et sano praeservationem! Noli unicum tantum medicamentum dare, ne fortasse morbo non conveniat, sed multa affer auxilia, ut morbus accipiat sanationem et tu quoque discas experimentum! Laudetur ille, qui operam dedit vulneribus nostris! [12] Sit terra secundum voluntatem tuam, vinea secundum operationem tuam, grex intus in habitatione tua, et oves sanae sub baculo tuo! Sis nobis magnum caput et simus nos uniones coronae tuae! Nos decori simus per te et tu per nos; nam invicem se exornant populus et sacerdos, quando concordiam colunt! Laudetur ille, qui in nobis concordiam sevit! [13] Audi apostolum dicentem ecclesiae, quam desponsaverat: zelor de vobis zelo, zelo scilicet divino, non carnali, sed spiritali. Tu quoque zeleris super eam sancte, ut sciat, quis et qualis sit; per te diligat et amet Jesum, verum sponsum! Laudetur ille, cujus zelus sanctus est! [14] Sicut magistri ejus, ita etiam mores ejus sunt, quia cum magistro remisso remissa est et cum illustri nobilis est ecclesia, similis speculo, quod semper faciei intuentis imaginem repraesentat. In rege enim exercitus ejus et in sacerdote grex ejus sicut in effigie expressus est. Laudetur ille, qui eam in suam similitudinem expressit! [15] Sine testamento de vita decesserunt tres nobiles sacerdotes, sed quia meditati erant duo testamenta divina, magnum lucrum nobis reliquerunt, hunc scilicet typum paupertatis. Quia nihil possidebant beati illi, fecerunt sibi nos possessiones suas; ecclesia eorum erat thesaurus eorum. Laudetur ille, qui acquisivit per eos possessiones suas! [16] Cum Jacobo, nobili sacerdote, splendebat ecclesia, sicut ille; quia ille conjungebat amorem cum zelo, timore et amore ipsa tecta erat. Sub Babu, amatore eleemosynarum, captivos argento redemit. Sub Vologese, divinae le-

---

[13] Cf. II Cor. 11, 2.

gis perito, aperuit cor suum scripturis. Sub te autem multiplicentur auxilia ejus! Laudetur ille, qui magnificavit mercatores ejus!

XX. Ejusdem prorsus modi carmen.

[1]O virginalis sponse, aliquantulum zelum tuum concitare velim in uxorem juventutis tuae. Abscinde familiaritates, quae erant ei in adolescentia ejus cum multis. Increpa eam et collige animum ejus, ut sciat, quis et qualis sit! Per te diligat et amet Christum, verum sponsum! Laudetur ille, qui desponsavit eam unigenito suo! [2]Zelare, agricola, super zizania, quae germinaverunt et implicuerunt se tritico. Facilius eradicari potest dumus, quam despectata mentha, quae, si a levissimo vento aufertur, segetem invadit et vincit. Quod autem tres agricolae severunt, trino modo veniat, tricies scilicet et sexagies et centies. Laudetur ille, qui ditavit proventus tuos! [3]Novum pastorem decet, ut novo modo gregem superattendat, et sciat, quantus sit numerus ejus, et videat, quae sit indigentia ejus. Est enim grex, qui redemptus est sanguine magistri pastorum. Voca igitur et praeterire fac oves nominatim, quia scriptum est nomen et computatio hujus gregis in libro vitae. Laudetur ille, qui poscet numerum ejus! [4]Ecce sponsa Domini tui credita est tibi; custodi eam ab omni detrimento et ab hominibus, qui corrumpunt et conventicula suis ipsorum nominibus nominant. Ei autem impositum est nomen sponsi ejus; ne fornicetur cum nomine alieno, quia non baptizata est in nomen hominis, sed glorificet nomina, in quae baptizata est, patris scilicet et filii et spiritus sancti. Laudetur ille, cujus nomine nominata est! [5]Apostolus desponsor ejus zelatus est in

---

XX. Admonet Abrahamum, ut omni studio ecclesiam suam ab haeresibus purget, simulque haereticorum morem perstringit, propria conventicula suis ipsorum nominibus denominandi. — Idem prorsus est argumentum pulcherrimi hymni 56 adversus haereses, qui sine magna animi commotione vix legi potest.

[5] Posset etiam verti: *sed ne quidem nominibus veracibus, nec Petri nec ipsius quidem Pauli.* Hoc autem omnino rejiciendum est, quia tum esset

eam, ne corrumperetur nominibus, non solum nominibus fraudulentis, sed ne quidem nominibus veracibus, immo nec ipsius quidem Petri. Desponsores veraces semper nomen sponsi ejus ei imposuerunt, deceptores autem tanquam fornicatores, sua ipsorum nomina imposuerunt gregi. Laudetur nomen tuum, creator noster! [6] Sigillum creaturarum, fratres mei, nemo aperte destruit, et ad nomen sigillatum in epistola nemo aliquid addit vel immutat. Qui enim sigillum laedit, fur habetur, et qui nomen alterat, fraudator est. Sed nomen Christi mutatum est et nomina fraudis imposita sunt conventiculis corruptis ab iis. Laudetur ille, qui suo nomine gregem suum nominavit! [7] Vide prophetas et apostolos, quantam inter se similitudinem habent; prophetae enim gregi Dei nomen Dei imposuerunt et apostoli ecclesiae Christi nomen Christi dederunt. Eodem modo fraudatores sibi invicem similes sunt, quia eorum nominibus nominantur conventicula, quae cum iis fornicata sunt. Laudetur ille, in cujus nomine sanctificati sumus!

XXI. Ejusdem ipsius modi.

[1] Joannes, cum lucerna esset, aperuit et arguit impuros, qui ideo celeriter exstinxerunt lucernam, ut voluntati cupiditatum suarum obtemperare possent. Tu quoque esto lampas in splendore et fac cessare opera tenebrarum, ut, quando illucescit doctrina

---

climax a minori ad majus, diceretur que, Paulum minus aegre tulisse, si ipsius, quam Petri nomine ecclesia nominaretur, quod injuria esset in apostoli modestiam. Omnis porro dubitatio evanescet, si comparamus locos parallelos, ed. rom. II 492 f. 559 e. Hoc ultimo loco S. Ephraem ait: *Nonne reveriti sunt haeretici apostolum vituperantem eum, qui se Petri esse affirmat? Si ergo ne Petri quidem nomine nominatae sunt oves, quamquam ille princeps apostolorum erat et claves regni tenebat, et pastor gregis erat, vae illis, qui oves non suas suo nomine denominare ausi sunt!* Cf. etiam III 435 b. 486 c. B. O. I, 95.

XXI. S. Ephraem Abrahamum laudibus effert, optatque, ut populus Nisibenus per eum ab omnibus pravis consuetudinibus abducatur et perfecte regeneretur; simul etiam media, quibus haec effici possint, indicat. Porro laetatur, quod per mortem Juliani magna tentatio ad malitiam sublata sit, et sperat, per conjunctas Joviani et Abrahami curas omnia prava emendatum et collapsa restauratum iri.

tua, nemo audeat in ortu ejus obedire voluptati tenebrarum. Lau-
detur ille, qui fecit te lampada nostram! [2] Magnum bonum ab-
sconditum erat in admonitione Eliae. Ministravit ei Elisaeus et
poposcit duplicem mercedem ministerii sui, quod ei duplicem glo-
riam dedit, quia dupliciter ornatus erat virtutibus ejus. Tu quoque,
quia dilexisti admonitionem Vologesis, divitis magistri tui, hae-
reditabis thesaurum sapientiae ejus. Laudetur ille, qui ditavit
doctrinam tuam! [3] Vincatur gula per jejunium tuum, sicut per
jejunium Danielis, confundatur libido per corpus tuum, quemad-
modum confusa est per Josephum; vincatur a te cupiditas argenti,
quemadmodum victa est per Simonem; sicut ille liges in terra et
similiter illi solvas in coelo, fides enim tua similis est fidei illius.
Laudetur is, qui credidit tibi ministerium suum! [4] Castitate si-
milis es Elisaeo et virginitate Eliae et foedere cum oculis tuis
Job, misericordia David, sine invidia es sicut Jonathan, fortis ut
Jeremias, mitis ut apostoli! Tu possides antiqua prophetarum et
nova apostolorum! Laudetur ille, qui implevit te thesauris eorum!
[5] Fias corona sacerdotio et per te glorificetur ministerium; fias
frater presbyteris et praeceptor diaconis, magister pueritiae, ba-
culum et manus senectuti, murus virginibus Deo dicatis! Foedus
triumphet per vitam tuam et ecclesia ornetur per pulchritudinem
tuam! Laudetur ille, qui elegit te ad sacerdotium! [6] Per pau-
pertatem tuam aboleatur odiosa consuetudo Giesi et sociorum ejus;
per sanctitatem tuam destruatur impura consuetudo filiorum Heli;
per concordiam tuam cesset fraudulenta labiorum salutatio Isca-
riotis fraudatoris! Effunde omnem cogitationem nostram et forma
eam denuo modo novo! Laudetur ille, qui conflat nos in catino
tuo! [7] Per vitam tuam pudefiat mammona, quae facta est domi-
natrix libertati nostrae; cesset a nobis aegritudo, quae nobis con-
sueta et jucunda est! Abole causas, quae retinuerunt consuetu-
dines damno plenas. Possessit nos malum per consuetudinem, ha-
bitet in nobis bonum per consuetudinem! Esto, Domine, causa
auxilii nostri; laudetur ille, qui elegit te ad salvationem nostram!
[8] Abscidantur pravae consuetudines! Ne possideat ecclesia opes,
sed animarum possessione contenta sit et ob hanc continentiam

admirationem incutiat. Neque sepeliantur mortui more pagano in desperatione, cum vestibus et ululatu et luctu; vivum enim oportet tunica indui, sed mortuo sufficiat sarcophagus. Laudetur ille, qui nos redire facit ad pulverem nostrum! [9] Causa mali est voluptas et voracitas filiorum Eli et furtum similium Giesi et maledicentia similium Nabal. Obtura hos fontes odiosos, ne fiat scaturigo magna nec accidat per eam inquinatio, nec etiam ad te ipsum veniat pars effluvii ejus! Dominus noster claudat fontes illos! Laudetur ille, qui arefecit scaturigines eorum! [10] Seni loquendi facultatem praebe, juveni silentium impone, ut peregrinus, qui ad te venit, te cognoscere possit ex ordinatione tua, qua alium primo, alium secundo vel tertio loco loqui instituis. Hoc modo si unusquisque os suum custodit et si unusquisque novit gradum suum, beatus praedicaberis. Perficiat Dominus noster voluntatem tuam! [11] Vox tua vera unica sit, sed voces assumtae innumerabiles! Imago veritatis sit in corde tuo, sed in facie tua omnes species, tristitia, hilaritas, debilitas! Insipienti monstra, te esse iratum, casto monstra, te esse hilarem; esto unus erga Deum et multiplex erga homines! Laudetur ille, qui omnibus omnis est! [12] Si audis nuntium de peccato a veracibus, qui non decipiunt te, funde lacrimas, ut exstinguas ignem in aliis ardentem; tecum orent intelligentes et jejunium constituas scientibus, et domus tua sit in moerore, ut ille, qui per peccatum aberravit, reducatur per poenitentiam! Laudetur ille, qui invenit ovem perditam! [13] Noli omnibus aurem tuam praebere, ne demergant te mendaces; noli omnibus pedem tuum commodare, ne impuri te evagare faciant; noli omnibus animum tuum accredere, ne conculcent te procaces! Retine manum tuam a fraudulento, ne colligat spinas in manum tuam! Esto remotus et propinquus! Laudetur ille, qui remotus et tamen propinquus est! [14] Ecce fama novi regis intonat et venit in mundum.

---

[12] Iis, quorum peccata ab aliis delata erant, tum temporis, crimine probato, ab episcopo poenitentia canonica injungebatur. S. Ephraem vero Abrahamo suadet, ut talibus per deprecationes gratiam a Deo impetret ultro poenitentiae remedia quaerendi.

[14]—[17] Sententiarum nexus hic est: In labore tuo pro ecclesia emen-

Direptis facta est confortatio et direptoribus horror. Vomitus accidit voracibus, ut redderent quodcunque devoraverunt. Timeant etiam a te, ut priores consuetudines aboleantur communi sacerdotis et justi regis opera! Laudetur ille, qui irascebatur et rursus ad misericordiam conversus est! [15] Alius facinus audet, si opportunitatem commodam nactus est, alius autem cogit et compellit voluntatem suam ad peccandum. Alius opinatur, judicium dilatum esse, alius autem, illud omnino non futurum esse. Alius furatus est et satisfecit siti suae, alius autem furatus est et adhuc furtum sitit. Furati sunt divites et pauperes, furati sunt esurientes modice, satures autem immodice. Laudetur ille, qui exploravit omnes nostrum voluntates! [16] Nunc autem opportunitatem dedit, ut omnes monstrarent veram voluntatem suam, quales et cui similes essent, et quid de quo sibi elegissent. Abstulit tentationem ab omnibus, ne vel non odiosi eum abnegarent. Dedit nobis opportunitatem, ut intelligeremus, castigationem, quae nobis tantum profuit, meliorem esse, quam hanc potestatem. Laudetur ille, qui vituperat nos, ut auxilium nobis ferat! [17] Non enim per vim jugum suum super collum nostrum ponere vult. Dedit nobis opportunitatem et superbi facti sumus, ut, cum defecissemus ideoque laesi essemus, diligeremus leve jugum ejus et eligeremus mite baculum ejus! Nostra quies valde nos defatigavit, quia in Dei necessitate est vera quies et in ejus jugo vera levitas. Laudetur ille, cujus labor jucundus est! [18] Totus mundus similis est corpori, quod cecidit in magnam aegritudinem. Nam per febrim idololatriae incaluit et aegrotavit et in lectum cecidit. Sed dextera misericordiae palpavit eum et curavit animam ejus per gratiam;

---

danda magno tibi adjumento erit Jovianus, novus imperator christianus et orthodoxus. Antea enim sub Juliano imperium impietati paganae favebat eamque quadam vi hominibus obtrudit. Ideo multi quoque pellecti sunt, qui non totaliter perversi erant, sed tantum data opportunitate peccabant. Nunc autem gratia Dei hanc tentationem et pressionem removit, et unusquisque libere bonum aut malum secundum propriam voluntatem eligere potest. Certe multo utiliores erant animis nostris durae illae castigationes, quibus Deus peccata nostra puniebat, quam haec dominatio gentilis impietatis sub Juliano.

abscidit cito idololatriam, quia ipsa fuerat causa aegritudinis, et excussus est aegrotus, sudavit et sanitatem recuperavit. Gloria sit manui, quae eum curavit! [18] Pace fruatur terra in diebus tuis, quia aspectus tuus plenus pacis est! Per te reaedificentur ecclesiae et rursus induantur ornamentis suis, et aperiantur in iis libri earum et disponantur mensae earum et illustrentur ministri earum! Ascendat ex iis gratiarum actio, tanquam primitiae, Domino pacis! Laudetur ille, qui resuscitat ecclesias nostras! [19] Oratio tua ascendat ad coelum, ascendat cum ea reconciliatio! Dominus coeli faciat pluere bonitates suas super malitiam nostram et consolationes suas super afflictiones nostras et collectionem suam super dispersionem nostram! Excitet zelum suum una cum charitate sua; ignominiam nostram revindicet zelus ejus, debitum nostrum deleat gratia ejus! Laudetur ille qui benedixit gregi suo! [20] Primus sacerdos et primus rex tamquam alter ad alterius normam formati erant, et sicut aequa lance ponderati erant; ita etiam Vologeses et filius regis, qui ambo lenes erant et tranquilli. Ita hi ultimi quoque sibi invicem similes sint! Sacerdotes sint lumina et reges fulgores et judices splendores! Laudetur ille, qui illuminavit animas nostras! [21] Ab imperio procedant leges et a sacerdotio propitiationes; odiosum est enim, utramque hanc potestatem lenem esse, nimis durum autem, utramque esse fortem; sed uni convenit fortitudo et alteri suavitas. In intelligentia et prudentia misceatur territio cum misericordia! Fiat sacerdotium nostrum suave, sed imperium nostrum forte! Laudetur ille, qui miscuit auxilia nostra! [22] Orent sacerdotes pro regibus, ut fiant murus generi humano! Regum est victoria et sacerdotum fides. Victoria salvet corpora et fides animas! Reges finiant bellum et sacerdotes disceptationem! Disputatio et altercatio cesset! Laudetur filius illius, qui omnibus pacem praestat! Gloria sit tibi propter donum tuum!

---

[20] Primum regem, id est Constantinum, cum S. Jacobo comparat, filium regis, Constantium scilicet, cum Vologese, et optat, ut Jovianus quoque Abrahamo similis fiat.

XXII—XXV (desunt.)

XXVI.

[1] — — — ii, qui fecerunt me iram tuam provocare, possunt etiam rursus me tibi reconciliare. [2] Tum ero coronata, sanata et honorifice cognominata, cujus infantes erunt in sinu ejus et hostes extra eam, cujus frumentum pulchrum erit et purum a zizaniis. [3] O medice, monstra sapientiam tuam in membris meis, et ea, quae abscisa sunt a corpore meo, rursus compone et infige ei, ita ut spectatores ea omnino nunquam abscisa fuisse existiment! [4] Cum diabolus gaudeat de maculis meis et contemnat membra mea, auge pulchritudinem eorum, qua contristetur odiosus ille et poeniteat eum laboris adhibiti, si videt, quam pulchra facta sim! [5] Doceat me per tentationem suam, ne rursus iteremus dolorem! Doleo, quod amputata sum et quod illa membra mea abscisa sunt. Caveamus in ultima valetudine, ne rursus pereamus! [6] Et ego et illi laudabimus te omnibus diebus, quod reliquisti et docuisti me dolorem per tentationem, et quod rursus collegisti et fecisti me possidere amorem per probationem. [7] Pro me quoque misero ora, o ecclesia, ut, qui dolui ob divisionem tuam, gaudeam ob compositionem tuam, et tecum in regnum coelorum post te ingrediar!

De carminum XXII—XXIV argumento nihil conjici potest; carmen autem XXV sine dubio de iisdem rebus agit ac sequentia, cum ejusdem modi sit.

XXVI. Hymnos XXVI—XXX ad res Edessenas pertinere et probabiliter circa a. 370 scriptos esse, in prolegomenis demonstravimus. In hoc carmine, cujus initium desideratur, poeta Deum implorat, ut ecclesiam Edessenam e miserrimo statu, in quem per schisma delapsa est, liberet, eique pristinum decus restituat, schismaticis ad unitatem reversis.

[1]—[3] Si ii, qui per separationem suam ab ecclesia eam in hanc miseriam dejecerunt, rursus ad unitatem revertuntur, efficere possunt, ut ecclesia antiquum splendorem recuperet.

XXVII. Tertium ejusdem modi carmen.

[1] Medico facile est, Domine, abscidere membrum; non autem faciliter rursus illud in locum suum infigere potest. Tibi vero, Domine, utrumque facile est, utpote Deo. (Responsorium: Audi vocem clamoris mei, infantes meos!). [2] Per duodecim annos medici haemorrhoissam illam denudaverunt, nec tamen ei auxilium tulerunt. Si eam sanassent, ignominia fuisset; quanto magis, quia non sanare poterant. [3] Cum illi denudassent eam, tu misertus es ejus et sanasti eam, quando operta erat et tetigit vestem tuam, non corpus tuum; tunica tua fovens omnia fuit ei medica. [4] Quanto magis misereberis, Domine, ecclesiae tuae, quae ita contempta est, ut vel ii, qui viam praetereunt, itinere deflectunt, ut videant ignominiam ejus! Mulieris transeuntis misertus est et denudasti sponsam tuam. [5] Nec tamen par est diuturnitas meae calamitatis cum diuturnitate illius; mea enim calamitas per sex tantum annos duravit, quod est dimidium temporis illius. Sana igitur aegritudinem recentem, qui inveteratam sanasti! [6] Si autem ideo me rejecisti et reliquisti, quia tibi aliquantum exosa sum, quomodo, quaeso, ille tibi exosus esse potest, qui contemnit uxorem suam, quam odio habet? Dilige ergo me, quamquam exosam, et tuo ipsius exemplo doce illum, ut amet uxorem suam! [7] Liam, quae exosa erat, tu ipse pulchram reddidisti. Oculi ejus infirmi, sed infantes ejus pulchri erant; me autem, quae pulchra sum, infantes mei contumelia afficiunt. [8] Revera quidem tu et mater tua soli

---

XXVII. Orat Deum, ut ecclesiae, dissidiis exagitatae, benigniter succurrere velit, sicut olim haemorrhoissae, nec eam omnino ob peccata ejus rejiciat, cum etiam populum judaicum tam ingratum magna longanimitate portaverit. Ecclesiam Edessenam Christo desponsatam esse ait, nec ab eo deseri posse. Tandem se ad populum convertit, eumque monet, ut Christi et ecclesiae exempla secutus, dissidiis sublatis, paci et concordiae studeat.

[5] Hoc schisma sex annorum videtur ab anno 364 incipiendum esse, quo Valens, Arianorum patronus et ecclesiae persecutor, imperio potitus est. Eadem temporis definitio repetitur 28, 7.

[8] De hac stropha prolixe in prolegomenis egi.

estis, qui omni ex parte omnino pulchri estis; non enim in te,
Domine, labes est, nec ulla in matre tua macula. Infantes autem
mei duabus his pulchritudinibus minime similes sunt. 9 Pater tuus
tulit exosam illam congregationem, quae fornicata est cum vitulo
illo; et propter hoc exosa est etiam progenies ejus, quia exacte
idolo illi alieno similis est. 10 Ei enim similes sunt lectores vera-
cium, Moysis et prophetarum, quos legerunt omnibus temporibus;
tu autem nosti, Domine, quid sceleris in te commiserunt. 11 Apo-
stolus me tibi desponsavit, Domine, tanquam puram virginem. Vi-
tulum patrum meorum odi et te, Domine, amavi. Ne pungant
oves, infantes mei, fratres suos! 12 Sunt enim illius agni, qui ju-
dicatus est sine vociferatione, immolatus sine clamore, crucifixus
sine murmuratione, et qui redivivus rursus laboravit, ut vivificaret
interfectores suos. 13 Non Adam procreavit vos, qui praeter fas
transgressionem ausus est, nec filius ejus, qui injuste sine causa
occidit fratrem suum, sed estis filii spiritus sancti et infantes
ex aqua renati. 14 Dicam vobis etiam de me, quod lapidata
sum nec tamen irata sum, quod crucifixa sum et non maledixi,
quod cremata et non exsecrata sum. Illi domino vestro similes
estote et me matrem vestram imitamini! 15 Progenies serpentum
nominati sunt homines, non propter ipsorum naturam, sed propter
opera ipsorum. Superatur enim ipsum venenum viperae a veneno
liberae voluntatis. 16 Ita etiam dii nominati sunt homines, non
propter substantiam suam, sed per gratiam, quae vobis cum se
ipsa cognationem fecit. 17 Mirandum est, Deum ipsum vobiscum
affinitatem contraxisse et vos abscidisse a vobis affinitatem ejus;
quia enim ipse creatura factus est, vos creatori affines facti estis.
18 Gloria sit tibi, Deus mi, qui non fecisti nobis affinitatem cum

---

9—10 Noli derelinquere ecclesiam tuam propter peccata et dissidia membrorum ejus. Antea enim summa indulgentia erga populum judaicum usus es, quamquam hic multo adhuc magis odio tuo dignus erat.

11 Ecclesia Edessena haec in martyribus suis perpessa est.

15—18 In potestate liberi arbitrii vestri relictum est, utrum per odium adversus fratres et per separationem a communi matre ecclesia serpentibus similes fieri, an e contra per charitatem cognati Dei esse vultis.

creaturis, sed cum te ipso, domino omnium creaturarum; sit laus permixtioni tuae! [19] Non enim mirum fuisset, si una cum creaturis affinitate conjuncti essemus, quia una est creatio; laudetur Dominus, qui servos suos voluit esse cognatos suos!

XXVIII. Quartum ejusdem modi carmen.

[1] Si ipsae res naturales, Domine, odiosae sunt in aegritudinibus suis, turpes in doloribus suis, abominatae in maculis suis, desideratae in fructibus suis, pulchrae in decoribus suis; (Responsorium: Da pacem cito filiis meis!) [2] quanto magis homines fremεnt in doloribus suis et dolebunt in tristitia sua et pudefient in maculis suis, quibus fuerunt peccata ipsorum causa castigationum? [3] Ramorum abscisorum vulnera turpia sunt; et scissurae exosae sunt, etiam si expletae sunt; quanto magis ergo abominabiles erunt, Domine, si ita relictae sunt? [4] Vestis scidit se ipsam, sed rursus resarsisti eam. Tum denuo iteravit scissuras suas et tu iterum firmasti eam. Sanguini tuo intincta est, sed putruit et a te defecit. [5] Adhuc superest spes, ut scissurae meae resarciantur; quamquam enim prosilientes, Domine, te perscrutari quaerunt, et quamquam vestigio fallente lapsi sunt, in te speraverunt, ut serventur. [6] O lux nostra, monstra te illis, qui te quae-

---

XXVIII. Conqueritur de schismate Arianorum, ecclesiam perturbante, et ait, se mortem haereticorum eorum in errorem lapsui praeoptare. Poenitentiam iis imprecatur, et gratiam Dei illuminantem sinceris non defuturam esse sperat.

[4] Ex hac stropha sequi videtur, schisma jam antea erupisse, sed postea sublatum esse. Nobis igitur verisimile videtur, Arianos sub Constantio primum ab ecclesia Edessena descivisse, tum sub Joviano ei rursus reconciliatos esse, sed sub Valente denuo se separasse. E Juliani epist. 43 discimus, Arianos Edessenos a. 362 ecclesiam valde divitem habuisse et Valentinianis vim intulisse, qua de causa Julianus omnes ecclesiae Arianae pecunias confiscare jussit.

[5]—[6] Multos ex Arianis non pertinaciter, sed bona fide errare confidit, et haeresem, in quam Deum perscrutando inciderunt, veritatem credere. Ideo sperat, Deum his errantibus, sed hominibus bonae voluntatis, verae fidei agnitionem largiturum esse.

runt, et ad eos, qui vestigio fallente oeciderunt et insuper se stare
credunt, demitte te, et monstra iis, te etiam ad lapsos te incli-
nare! [7] Et jam per sex annos reliquerunt me infantes mei et non
adsunt. Feminae meae sepelierunt et oblitae sunt moeroris in-
fantum suorum. Sed mei infantes non oblivioni dati sunt, quia
non sepulti sunt mortui mei. [8] Ne contemnant me, Domine, servi
tui zelatores, ne reprehendant me, quia defleo eos, qui in vita
sua mihi mortui sunt! Utinam enim hi non in vita sua, sed in
morte a me decessissent! [9] Utinam imponere potuissem manus
meas super oculos eorum et comitari eos psalmis et mandare ei,
qui omnes vivificat, ut eos reddat aspectui meo in resurrectione!
[10] Tum non deberem contristata esse de his duobus, Domine, si-
cut nunc accidit, quod ii, qui in itinere mortui sunt, sepeliun-
tur per alienos, et quod ii, qui mortui sunt in habitationibus
suis, abominationi sunt in oppidis suis. [11] Fac resurgere, Do-
mine, vitam eorum per poenitentiam et multiplica morti eorum
cantum psalmorum! Gaudeamus de vivis eorum, commende-
mus mortuos eorum! [12] Per vocem vaccae et ovis discamus
condolere; illae enim clamant, si pulli earum amissi non ad-
sunt; et nos illis similes, Domine, periimus propter amissos.
[13] Et si inventi sunt et redierunt, rursus gaudent et laetantur;
eodem modo, Domine, rursus invenire et ad nos redi! Cur ti-
meo, ne me exprobres per animalia? [14] Stultum illum populum,
Domine, valde exprobrasti per hirundinem et ciconiam, quae cu-
stodiunt tempora. Ut confundat libertatem humanam, laudavit
Deus volucres.

---

[7] Matres quidem mortuorum infantum oblivisci possunt, ecclesia autem se consolari nequit de haereticis, quia secundum corpus viventes et secundum animam mortui sunt.

[12]—[14] Commendat zelum in haereticis ecclesiae membris convertendis per exemplum animalium, quae sedula cura pullos suos amissos quaerunt.

[14] Alludit ad Jeremiam 8, 7.

XXIX. Quintum ejusdem modi carmen.

[1] Jerosolymam, Domine noster, lacrimis deplorabas, matrem crucifigentium, cujus infantes concordes erant in ea. Miserere etiam ecclesiae tuae, cujus filii discordes sunt in ea! (Responsorium: Miserere mei, quia facta sum opprobrio peregrinis!). [2] Illi enim, quos invicem discordes esse oporteret, concordes sunt in una sententia. Filii autem mei, quos oporteret in uno amore consentire, sciderunt unicam veritatem. [3] Serpentes, quae devorant fratres suos, unanimes factae sunt, et miserentur sociorum suorum; agni autem mei lupi facti sunt fratribus suis et aggrediuntur pastorem communem. [4] Jerosolymae dixisti, te velle colligere eam, sicut mater colligit pullos suos sub alas suas. Colligat veritas tua, Domine, infantes meos sub alas meas! [5] Consolatus es Samuelem, cum stulti eum rejecissent, et dixisti, te ipsum in eo rejectum esse. Et ecclesia tua tibi similis est; cum enim sacerdotem tuum rejecerunt, me ecclesiam in eo oderunt infantes mei. [6] Et quia sciebas, nunc tempus esse calumniae, non dedisti mihi juvenem pastorem, qui formosus et pulcher esset; calumnia enim cito adhaerere solet juventuti. [7] Me ipsam calumniantur in hoc sene, me ipsam ignominia afficiunt in hoc casto, cum Dominus permiserit, quod praeter consuetudinem vox calumniae cito applicetur senectuti. [8] Illi non jejunaverunt et vigilaverunt cum hoc sene, qui juvenes defatigaret per vigilias suas. Precor, Domine, ut illi cum eo in comparationem addu-

---

XXIX. Miserrimum ecclesiae Edessenae statum deplorat, ex dissensione et separatione ortum, praesertim quod haeretici S. Barsen episcopum persequuntur et falsis criminibus calumniantur. Tum felicissimam conditionem, qua Edessa ante haec dissidia gaudebat, cum praesenti comparat, Deumque orat, ut illam restituat et populum rursus in unica veritate conjungat.

[6] S. Barsen senem fuisse, etiam a Basilio et Theodoreto commemoratur. Ex hac et sequenti stropha apparet, Arianos non veritos esse, hunc episcopum sanctitate et miraculis clarum impudicitiae accusare.

cantur. [9] Hic est pauper et illi divites, hic pacificus et illi litigiosi, hic mitis et illi fortes, hic humilis et illi oppressores, ita ut illi fortasse per ipsam ejus humilitatem laesi et superbi facti sunt. [10] Contra virum misericordiae plenum, Domine, sine misericordia egerunt, cum conviciati essent patrem suum et ignominia affecissent matrem suam. Nam me quoque in hoc sene fecerunt vetulam conviciis obrutam. [11] Quis est, qui non fleret, me in fine ad id pervenisse, ut juventus mea honorata et senectus mea conviciis obruta sit? Infantes mei me contemptam reddiderunt et facta sum opprobrium crucifigentibus. [12] Fortes mei mortui sunt et decesserunt et reliquerunt me derisui, quia propter eos pagani confusi sunt a me. Nunc autem omnes digitis me monstrant. [13] Ecce per mortem abducti sunt optimi mei, perfecti et illustres mei, qui fecerunt me coronatam et invidendam in mundo; nunc autem ego, quae fui celebrata, facta sum conviciis obnoxia. [14] Singuli per suas res fortiter gestas honoraverant me triumphis; ipsi etiam pagani et alieni honorabant me propter illos. Nunc autem, Domine, ecce etiam a meis ipsis contempta sum. [15] Quo discesserunt casti mei, sancti in jejuniis suis, assidui in bonis operibus, diligentes in aegrorum curatione? Non jam est gustus, quia deficit sal. [16] Per unum ex illis rex placari potuit, et per duos rex regum potuit consolationem accipere et laetificari. Elegisti et adduxisti eos singulos ad te tanquam oblationes acceptabiles. [17] Agricolae mei collegerunt fructus meos perfectos et suaves; gustus eorum erat veritas, et dulcedo eorum charitas. Nunc vero insipidi facti sunt fructus mei, quia morata et super me hiems.

---

[16] Cum ultimis strophae verbis compara Opp. Ephr. ed. rom. III, 275 c. — Quod de reconciliatione regis ait, mihi spectare videtur ad rem a Libanio narratam orat. 14, pag. 400. Edesseni statuam Constantii humi dejecerunt, virgis ceciderunt, eumque imperio indignum proclamaverunt. Libanius addit, Constantium hoc non curasse, sed tantum risisse. Sed secundum hanc stropham a sancto aliquo clerico aut episcopo Edesseno ad ignoscendum commotus est, quod multo verisimilius est. Constantius enim nullo modo clemens erat erga reos laesae majestatis.

[17] Inde ab hac stropha usque ad finem poeta allegorice populum Edessenum cum agro, et mores operaque ejus cum fructibus et vino comparat.

18 Hiems occulta et exosa nivibus suis et glacie sua florem orba-
vit, ita ut hic jam ab ipsa sua germinatione aegrotus factus sit
in doctrina sua et infirmus in initio suo. 19 Folia illius temporis
antecellebant et vincebant pulchritudine fructus nostros hodiernos;
multo enim desiderabilior erat racematio priorum temporum, quam
messis hodierna. 20 Aestates factae sunt hiemes et perierunt
ordines. Miro enim modo provenerunt fructus et perverterunt
sapores suos. Fructus perfecte maturi erant insipidi, praecoces
autem omnino fatui. 21 Ultimus fructus serotinus, jam hiemi vi-
cinus, antecellebat et vincebat odore et sapore suo hodiernum
hunc fructum, qui maturuit in media aestate. 22 Impleta sunt
torcularia mea et abundant vino, quod non effervescit et non re-
cens esse videtur; nam charitas ejus quiescens et debilis est. Di-
versum est a vino recenti et veteri. 23 Recens enim vinum effer-
vescit et vetus sedatum est. Vinum autem hujus saeculi utrique
dissimile est; nam charitas ejus non effervescit, sed etiam sapor
ejus non sedatus est. 24 Et cum deceret vinum effervescere in dul-
cedine sua, effervescit tantum in furore, quia ira ipsum pervertit.
Tibi jam apertum est, qualis sit finis ejus. 25 Nonne jure conqueror,
Domine, quod tam diu moratur hiems, et quod aquilo tam vehe-
menter spirat, ut ipse auster frigescat, et quod aquilo serenitatem
super me convertit in nebulam? 26 Et quemadmodum discipuli
excitaverunt te in mari et tu surrexisti et voce tua procellam se-
dasti, ita, Domine, audi vocem lacrimarum, quae omni die te exci-
tant. 27 De austro scriptum est, Domine, quod venisti et solvisti
glaciem Aegyptiorum, et fronduit et egressus est populus. Celeriter
fac nobis aestatem hilarem, quae nos exhilaret. 28 Per eam ma-
turescant fructus mei, per eam pinguescant semina mea, per eam
pulchrescant tempora mea, per eam abeant passiones meae, per
eam consummentur tristitiae meae et per eam intonent festa mea.
29 Multiplicentur centies fructus mei per gratiam tuam, ut hoc emo-
lumentum veniat tanquam usura terrae, quae irritam fecit messem
in hieme! 30 Fuerat fames occulta et paucum erat frumentum ve-
ritatis et deficiebat panis charitatis; et propter famem suam ho-
mines dispersi sunt in omnes regiones et effusi sunt in omnes

partes. [30] Volentibus horreum tuum, Domine, plenum est satietatis; si enim horreum Josephi distribuit escam inter famelicos, tuum horreum centies fidem meam nutriet. [32] Da nobis et multiplica nobis satietatem doctrinae tuae! Jejunium proveniat tricies, caritas sexagies, veritas tua sola centies proveniat cum omnibus bonis! [33] Tu dixisti: restituam vobis annos, quos locusta comedit, bruchus et eruca. Mihi quoque, Domine, restitue abunde, quod locusta occulta comedit, et fidem insere mihi! [34] Terra oratorum, ager verborum eorum, cessabat propter spiritum erroris, et fame laborabant omnes animae, quae non coacervaverant veritatem in mentibus suis. [35] O mi agricola, ara terras meas et repete arationem iterum atque tertio, Domine, quia etiam trino modo baptizasti et salvasti terram animarum nostrarum et ecclesiam spirituum nostrorum! [36] Apostoli quoque iterum atque tertio seruerunt et messuerunt, unde frumentum sponte nascens propagatum est et provenit, et abundavit et implevit terram horreo doctrinae. [37] Et quemadmodum radix ejus se propagavit et usque ad nos pervenit, ita etiam in posterum se propagabit usque ad adventum tuum, quia reges gladiis suis non possunt illam abscidere. [38] Quantulumcunque tibi do, Domine, multum tibi videtur paucum nostrum, et quantumcunque tu mihi das, plus poscit aviditas mea; nostrum esurit amor tuus, tuum sitit indigentia mea. [39] Animus meus sit terra tua; ara eum in nomine patris et itera in nomine nativitatis tuae et triplica in spiritu sancto, et manipulus laudationis ascendat ad eum, qui te misit, [40] quando mihi restitueris infantes meos et rursus mihi adhaerentes feceris dilectos meos. Si enim, Domine, volucres gaudent de pullis suis, quae mater non gaudeat de sono carorum suorum? [41] Agnoscant vocem matris suae per gratiam, et currant ad me; revertantur, redeant ad me, ut ego et illi te, Domine, laudent in unica veritate.

---

[33] Cf. Joel 2, 25.
[37] Ad persecutionem Valentis alludere videtur.

XXX. Sextum ejusdem modi carmen.

[1] Mi fili, quemadmodum triticum, quando perficitur, emittit paleam, quam non convenit cum eo mixtam esse, ita dimittunt etiam justi ea, quae utilia non sunt. (Responsorium: Laudetur dominatio tua!). [2] Moyses et Daniel, periti illi et docti, erant columbae, quae astutae factae sunt inter serpentes. Alter eruditus est in Aegypto, alter Babylone. [3] Reliquit alter doctrinam incantatorum, alter Chaldaeorum, sed naturalem scientiam communicabant imperitis, sicut lumen, cognatum pupillarum. [4] Hi callidi puri erant, et astuti simplices; mundi erant et prudentes, periti et immaculati. Videbant bonum et eligebant; videbant malum et rejiciebant. [5] Et quemadmodum homo non ambulat in via, quam non novit, ita hi non noverant viam tenebrarum; in una tantum versati erant, in via lucis. [6] In malis erant infantes, in cupiditate ablactati, in superbia pueri, sed in decentibus adulti, praestantes in splendore et casti in puritate. [7] Quis unquam vidit, lupos magistros fuisse castorum agnorum, et serpentes columbarum et accipitres avicularum, ut discant mores illorum? [8] Diabolus miscuit, fratres mei, amaritudinem suam in dulcedinem et tenebras suas in lucem et fraudem suam in veritatem et malitiam suam in bonitatem et peccatum suum in justitiam. [9] Elegerat sibi vasa pura et sancta et infudit in ea faecem suam, implevit ea coeno suo, doctrinâ scilicet incantatorum et sermone Chaldaeorum. [10] Et expectavit, quando commorabatur faex ejus in puritate, ut fortasse assuesceret veritas tenebris, et ut oblivioni daret occultaretque veritatem per mendacium. [11] Et putavit diabolus, sibi maximae utilitati fore (quamquam revera damnum inde percipiebat), si inferret faecem, coenum doctrinae suae, in filios

---

XXX. Moyses et Daniel, quamquam ab impiis idololatris educati sunt, nihil tamen receperunt in se, quod non cum veritate conveniebat, immo alios ex errore liberare studuerunt. Edesseni autem, qui sinceram fidem edocti sunt, misere in disputationes et errores lapsi sunt.

veritatis tanquam ora. [12] Et putavit, etiam si puri illi se opponerent et evomerent faecem, quam nequissimus iis infudit, tamen fieri non posse, ut nullus prorsus sapor vel odor doctrinae suae in iis remaneret. [13] Ita enim decepit et contaminavit vasa ministerii sui, quasi, postquam contaminata essent, non possent purgari, ut populus desperaret neque prospiceret conversioni. [14] Et pudefactus est in utroque; nam ne sua quidem vasa naturalia potuit inquinare, quia Dominus eorum ea reposcebat; vola manus illa venit et purgavit ea. [15] Liber ejus (Moysis) effusionem efficiebat et explicatio ejus erat conflatio in fornace. Et per Danielem expolita sunt et purgata et pulchra facta et abluta. [16] Et ea, quae egressa erant in contemptu, redibant in gloria; quae egressa erant in blasphemia, congregabantur in laudatione, quia reverterunt filii erroris et laudaverunt Dominum omnium. [17] Vasa naturalia reprehenderunt diabolum contra naturam suam, vasa libertatis reprehenderunt eum voluntate sua, vasa plena erant veritatis et exhibebant veritates suas. [18] Rursus autem ea vasa, quae ex ipsorum voluntate mendacio impleta erant, subversa et evacuata et effusa et exinanita sunt. Diabolus autem laboravit, ut ea rursus acquireret et denuo impleret. [19] Moyses decies ea subvertit in Aegypto et Daniel quoque subvertit ea Babylone; sed Dominus noster confregit ea reddiditque paleam. [20] Vasa veracia nonnisi vis implevit, sed illa se ipsa evacuaverunt et pro acerbitate effusa dulcem caritatem et veritatem rursus in se infuderunt. [21] Nos autem, in quos salvator noster veritatem suam plene infudit, ipsi vas nostrum subvertimus et effusum est per nostram voluntatem, et rursus impletus est sinus ejus faece contentionis. [22] Lauderis, creator noster, qui fuisti fictor noster! Vasa animi fecisti nobis de pulvere; ne impleamur pulvere, loco thesauri veritatis!

14—17 Diabolus tantum aberat, ut Moysem et Daniel ad suum servitium adducere posset, ut ii e contra peccatores converterent et diabolo eriperent.

XXXI. De Vito, episcopo Carrharum.

Ad modum: Ante eum.

1 Memento, Domine, precum Abram Carrhis et Jacobi in Paddan, et consolare adoratorem tuum, qui assumpsit et induit hos dilectos tuos per dilectionem suam, (Responsorium: Gloria sit ei, qui elegit eum!) 2 et qui pulcher est in decoribus illorum et nobilis in jejuniis illorum, et quia vidit in speculum tuum, multo magis adhuc se exornāt, castus, qui ab omni vite abstinebat os suum. 3 Consueverunt Carrhae, Domine, domum Jacobi opprimere et non remunerare labores ejus. Ipse Laban per delictum suum judicavit eas, cum fuco facto decepisset et introduxisset aliam pro sorore ejus. 4 Non est hic usus in nostro loco, inquit Laban. Ergo tuus usus persuadebit de te ipso, aut te solum mendacem esse et locum tuum purum et veracem, aut in te locum tuum repraesentari. 5 Hoc enim, quod decies mutasti mercedem ejus eamque huc et illuc transtulisti, numquid hoc quoque mos est loci tui, ut non dent mercedem et post pactum fraudent et mentiantur? 6 Reliquit Laban thesaurum suum et profectus est, ut pugnaret cum illo, qui perpessus erat insidias et laesiones ejus, qui decepit veracem et exprobravit purum. 7 Cum angelus Jacobo vigili assisteret in itinere et Carrhis, victus est Laban in somno suo; somnium enim vicit eum et attulit coronam illi vigili, mercedem vigilantiae ejus. 8 Elegit sibi oves maculosas et victus est, nec

---

XXXI. Orat Deum, ut Vito, Carrharum episcopo, auxilium ferat in tribulationibus, quas et a paganis et a clericis suis Arianis perpetitur, et ut hanc urbem, idololatriae pertinaciter deditam, ad christianam fidem convertat. Comparat etiam ingratitudinem et aerumnas, quibus Haranitae episcopum suum afficiunt, cum iis malis, quae Jacob a Labano et ipso Haranita perpessus est. — Hic Vitus, episcopus Carrhensis, subscripsit concilio Constantinopolitano an. 381. Praeterea commemoratur a Sozomeno hist. eccl. 6, 33, tamquam antecessor Protogenis. Ipse successisse videtur Barsae, qui, secundum chronicon Edessenum et Dionysium Telmachrensem, a. 361 Carrhis Edessam translatus est. De Haranitarum idololatria omnia congesta invenies apud Chwohlson, die Ssabier und der Ssabismus I, 301 seqq.

1—2 Vitum episcopum his strophis laudat.

minus, cum elegisset albas. Laban ipse maculosus et versicolor erat in mutationibus suis; erat mutabilis sicut nubes et semper alternans sicut rota. [9] Dominus Jacobi vidit laborem ejus et quod silebat, quanquam oppressus erat, et quod parvipendebat, quod fraudabatur. Et quia multiplicabat precationes suas, coronavit eum triumphis ille, qui exaudit precationes. [10] Eliezer senex, qui descendit et desponsavit sororem illius, cum videret astutiam ejus, oneravit eum omnibus donis, quia Laban repraesentabat domum et incolas ejus. [11] Decem camelos oneravit et attulit omnia bona, ut persuaderet omnibus oribus; emit libertatem et corrupit donis suis famem Carrharum. [12] Venerandus ille sapientiâ depeculatus est illos; scriptum enim est, quod dedit patri ejus et scriptum est, quod dedit matri ejus; Labano autem abundanter dona multiplicavit, quia ipse erat lingua illorum. [13] Secundum consuetudinem suam venit etiam Laban, ut peteret ab illo socio avium, qui emissus erat et portabat baculum, signum crucifixionis, qui pauper et purus erat; opprimebat eum omnibus astutiis. [14] Dolos exercebat in grege, insidias in convivio vir ille sine Deo vivens; quomodo ergo omnino verax esse potuit? Filias suas odio habuit, cujus ergo hominis eum miserere potuit? [15] Purus fidem praebuit deceptoris promissionibus, quia protegebatur nomine Abraham. Sed inter ipsum tempus convivii decepit generum suum. [16] Et quia deceperat genus Abrahami, Jacobus factus est catinus, in quo manifestaretur aes ejus et cognosceretur ex variationibus ejus, eum odisse domum Isaaci. [17] Effervuit neque dissimulavit, ut se ornaret, malitiam suam. Vis, inquit, impedivit me, quominus immitis essem contra te. Monstravit igitur, propriam suam voluntatem reconciliationi adversari. [18] Jacobus, qui erat filius pacis, gavisus est hac pace, et emit edacem per convivium, quo et ille gauderet. Justus justo auxilium tulit, adoratus adoratori suo, [19] qui invisus est odiose et odio habitus est sine causa et persecutionem passus est celeriter et oravit instanter, salvatus est mirabiliter et exhilaratus est abundanter. [20] Laban

---

[17] Cf. Gen. 31, 29.

vidit, omnia, quae fecit in damnum Jacobi, evasisse in ejus
emolumentum; itaque convertit se ad pacem stabiliendam cum
eo, foedus constituit cum eo, osculatus est et dimisit eum et abiit.
[21] Et recessit purissimus a turbidissimo. Justus Deus abscidit eos
et dividit eos in aeternum. Faex descendit in profundum, limpiditas ascendit in altum. [22] Oro te, Domine, ne similiter facias in
diebus nostris; si enim radix amara suscipit dulcem, quae inseritur in eam, et ambae concordant, quamquam inaequales sunt,
[23] quanto facilius est, Domine, hominibus, qui sui ipsorum potestatem habent, neque, ut ceterae creaturae, naturali necessitati
subjecti sunt, ut revertantur et unum fiant, et ut lapsus oret et
consistens fulciat eum? [24] Si enim bestiae pullos, qui naturae
earum valde dissimiles sunt, recipiunt, diligunt et lactitant, et,
quando moriuntur, dolorem suum clamoribus testantur, [25] nos quoque decet, esse similes angelis, Domine, qui gaudent de poenitentibus; si enim nunc non contristata essem, valde reprehendenda essem, quod ego, mater misericordiae expers, inter angelos
numerarer. [26] Quam cognatus est sinus meus infantibus meis, qui
e me egressi sunt et filii naturae meae sunt et ad tempus filii
veritatis meae! Satisfaciant per fructus suos pro eo, quod iram
agricolae excitaverunt! [27] Consolare agricolam, cujus plantatio
grandinem, inundationem et diluvium experta est, quae novam
plantationem impediverunt et veterem laeserunt, terroremque injecerunt servis tuis! [28] Consolare agricolam, quia jam ab initio
vermis corrosit terram et formica horreum erosit intus, comedit
extra. [29] Is, qui utroque fraudatus est, utroque abundet! Benedic semini extra, imple horrea intus! Novum et vetus largiatur
per doctrinam suam! [30] Egressus est novus pastor, et jam ab

---

[22] Orat Deum, ne permittat, ut Haranitae in omne tempus in idololatria permaneant, et tam definitive ab ecclesia christiana separentur, quam Laban a Jacobo, sed ut iis tandem aliquando conversionis gratia concedatur.

[25] Loquitur ex persona urbis Edessenae, quae tamquam mater Carrharum consideratur.

[30—32] His strophis non jam de paganis Haranitis, sed de internis dissidiis in ecclesia Carrhensi loquitur. Discimus ex iis, jam in ipso initio episcopatus Viti grave dissidium inter ipsum et clerum ejus exortum esse. Causa

initio imber et nebula ei obviam venerunt et perturbaverunt subpastores. Diligebant illi lupos, et putabant, hunc pastorem lupum esse. [31] Cum temulentus factus sit oculus et visus et intellectus subpastorum per tenebras, rursus firmetur per lucem tuam, et redeant illi ad pastorem et pascant agnos ejus! [32] Et cum in arca agni et lupi concordes fuissent, nunc oves se invicem pupugerunt. Increpa, Domine, Satanam, qui e puris agnis fecit terribiles pantheras! [33] Quis dabit huic pastori, ut lupos in oves convertat, quis dabit agricolae, ut zizania in triticum convertat? [34] Ecce sacerdotibus data est haec potestas, ut mutare possint lupos et cum iis zizania; ecce enim sollicite laborant, ut ex lupis fiant oves et ex spinis semina. [35] Auxilium fer agricolae, ut exornet terram sitientem fontibus, myrto et cupressis, et buxis rationalibus et cedris christianis! [36] Fiant rami eorum portus avibus defatigatis longinquitate itineris, quae veniunt, ut psallant tibi gloriam carminibus et cantilenis David! [37] Et orent pro me, Domine, humilis ille, qui defatigavit brachia sua neque cessavit constringere os suum, vigiliarum hymnorumque causa, et vigiles citharis suis et casti tympanis suis.

XXXII. Ejusdem modi.

[1] Rebecca, soror Labani, dissimilis erat ei; in hac pura inerat sapientia, in illo exosa astutia. Per ea, quae illius erant, salvata

---

non aperte nominatur; dicit, clericos illos lupos amasse, indeque forte colligi posset, eos episcopo nimium zelum in oppugnanda idololatria objecisse. Pagani enim in hoc carmine nominantur lupi, Christiani Haranitae oves, inter se invicem pugnantes. Nobis autem multo verisimilius videtur, hos clericos, qui episcopum suum lupum putant, et pro quibus, ut ad unitatem redeant, oratur, Arianae haeresi favisse; Vitum enim strenuum fidei catholicae assertorem fuisse, ex ejus praesentia in concilio Constantinopolitano apparet.

[37] Vitus est humilis ille, quem hic praedicat.

XXXII. Hoc carmen in medio mutilum primo ait, Rebeccam a Deo ob meliorem indolem e Carrhis, sede idololatriae, eductam esse. Postea narrat, quomodo Rebecca fraudem et astutias Haranitis a diabolo doctas, quibus Laban Jacobum fraudavit, in ipsum diabolum retorserit, cum Jacobo benedictionem Esau pararet et per eum Liam et Rachel Haranitis auferret.

est Rebecca, per ea, quae hujus erant, periit Laban. (Responsorium: Laudetur omnisciens!). [2] Cum sequeretur pura senem, qui eam abduxerat, vidit altissimus, quod ea Abrahami valde memor erat; miserat enim, desponsaverat et abduxerat eam, et introduxerat eam ad utilitatem suam. [3] Triticum egressum est e spinis et zizaniis et ex horreo paganorum ad domicilium justorum. O! — — —

— — — [4] Dominus eorum (Haranitarum) erat secretus et astutus, et didicerunt artificia ejus et similes facti sunt ei in astutia ejus, quia multum laboraverat in illis, ut fierent consortes, vasa et discipuli ipsius. [5] Ex ipsorum rebus poterant intelligere res illius; sicut enim Lia non similis erat Rachel, ita nec idolum simile est Deo. [6] Si nec soror similis est sorori suae, quamquam ejusdem naturae sunt, quanto magis alienus est error a Deo, cujus nomine nominatus est. [7] Et Jacobus, etsi deceperant eum, submisit se et possedit justus terram, quam ei commendaverant, et in quam semen suum injecerat, ne remaneret semen ejus in terra zizaniorum. [8] Veritas enim nunquam se accommodavit, ut adhaerere faceret firmitatem suam idololatriae, aut sanctitatem suam foeditati, aut vestem suam maculationi, aut stolam suam coinquinationi. [9] Rebecca astutiâ Labani contra eum usa est et dolose cum eo pugnavit. Ludibrium enim, quod ille excogitaverat, Rebecca et ipsa per retorsionem imitata est et vicit eum. [10] Quamquam enim Esau erat filius ejus primogenitus, sciebat, eum alienum esse semini veracium et potius Carrhis cognatum esse per actiones suas. [11] Dominus Haranitarum habitabat in Esau; dolose egit Rebecca et vicit eum, qui docuit, homines omnia ob mercedem perpetrare. [12] Et advocavit innocentem, fraudem egit et vestivit eum pellibus, symbolis Satanae, ut per omnia sua vinceretur perfecte. [13] Et dolose praedata est thesaurum benedictionum, et ra-

---

Ante str. 4 lacuna tredecim vel quatuordecim stropharum est.

[7] Sensus est: Liam in uxorem accepit et retinuit, quamquam ei per fraudem data erat. Semel enim, quamquam per errorem, mariti officium ei praestiterat, et noluit, progeniem suam apud impios Haranitas remanere.

[11] Cf. Job 2, 4.

cemata evacuavit eum, ita ut ne minimum quidem relinqueretur filio suo sinistro, ut exinaniret partem ejus. [14] Et quemadmodum exinaniverat eum benedictionibus, emisit filium innocentem, vas puritatis, qui et ipse descendit et praedatus est, ut Carrhas depauperaret. [15] Rebecca deceptorem devicit supra et infra; deceptione ipsius deceperat eum; vicit eum in benedictionibus et vicit eum in puella, quam ille adduxerat ad doctrinam suam. [16] Misit enim Rebecca aucupem et cum multa patientia cepit duas puellas, typum ecclesiae judaicae et christianae, quia utrique prodest illa longanimitas.

XXXIII. Tertium ejusdem modi carmen.

[1] Spinae et zizania et rhamni idololatriae, quae madefiunt libamentis, in quibus spirat error, progerminaverunt Carrhis, in hoc templo daemonum. (Responsorium: Per te concordes fiant filii mei!). [2] Si Adam germinantes fecit spinas naturales, quia transgressus est in libertate sua terminum praecepti, Carrhis germinaverunt spinae in voluntate hominum. [3] Agricola descendit in terram propter homines, qui erant spinae, ut fierent triticum; sed spinae nexuerunt spinas capiti agricolae. [4] Non autem periit semen hujus parabolae, quam constituerunt; ecce enim mutatae sunt spinae in rosas et lilia, coronam agricolae, qui pertulerat coronam spinarum. [5] Et illi agricolae quoque, athletae tuo, qui laboravit Carrhis, ut spinas mutaret in triticum, per gratiam tuam fiant spinae corona myrti et abietis et florum! [6] Pastor tuus, Domine, tibi similis est in omnibus; et quemadmodum similis erat, Domine, ignominia ejus humiliationi tuae, ita quoque similis fiat exaltationi tuae, ut magnificetur in cathedra sua! [7] Et via re-

---

[15] Puella est Rachel, quae Carrhis theraphim colebat.

[16] Jacob per patientiam et diuturnum laborem Liam et Rachel sibi comparavit; eodem modo etiam ecclesia judaica et christiana a Deo per patientiam et longanimitatem comparatae et redemptae sunt.

XXXIII. Vito felicem successum in convertendis paganis Haranitis apprecatur, et optat, ut Carrhae communi fide et amore cum Edessa aliquando conjungantur.

conciliationis et semita gaudiorum Edessâ usque Carrhas ducat, et homines ab altera ad alteram ecclesiam in concordia proficiscantur! [8] Edessâ profectus visitet senex ille Carrhas, filiam, quam educavit; et filius Edessae visitet matrem suam et rursus revertatur ad sponsam suam, Cárrhas! [9] Exple per gratiam tuam foveam, quam fecit diabolus; magnam enim scissionem scidit, ut duas partes ab invicem separaret. Sed dejice eum in suam ipsius foveam et fac viam super eum! [10] Tum praedicabimus bonitatem tuam, qua purgasti et planasti viam coram populis, qui veniunt ad festum. Ii, qui tum facile ambulare poterunt, laudabunt te abundanter. [11] Et gratias agent pro iis Jacob et Isaac et Abram; si enim adoratoribus vituli profuerunt nomina eorum, gaudebit etiam populus noster in Paddan ob memoriam eorum. [12] Et quemadmodum per secretum fermentum Abrahami adducti sunt ad locum nostrum omnes patriarchae, ita etiam per fermentum apostolorum attracti et adducti sunt apostoli, collegae eorum. [13] Per ossa Joannis, quorum est particula in regione nostra, prophetae vene-

---

[8] Sensus est: Tum S. Barses (qui teste Chronico Edesseno ante a. 361 Carrhis episcopatum tenebat), episcopus Edessenus, interdum ecclesiam Carrhensem, quam antea ipse rexit, inspiciat; Vitus autem, episcopus Carrhensis, Edessam, quae ipsum genuit, visitet. Discimus ex hac stropha, Vitum patria fuisse Edessenum.

[11] Paddan, quod etiam 31, 1 occurrit, non est Mesopotamia, ut vulgo putatur, sed sola regio Carrhis vicina cum planitie, quae inde usque ad Edessam extenditur. Non solum enim in his carminibus ita nomen usurpatur, ut ei hanc arctiorem significationem convenire necesse sit, sed aliae quoque rationes idem suadent. In inscriptionibus assyriis distinguitur Pattara (Paddan Aram) a Naharaina (Mesopotamia). Geographi etiam arabici medii aevi norunt loca فدّان et تلّ فدّان prope Carrhas. Falsum ergo est, quod dicitur, fictitium illum Elohistam in Genesi Mesopotamiam vocare פדן ארם, Jehovistam autem ארם נהרים, qua potissimum causa permotus Kurtz (gesch. des alten bundes I, 52) unitatem pentateuchi, antea ab ipso feliciter defensam, se dereliquisse confessus est. Sed hac de re mihi dicendum erit in libro, quem, Deo volente, pro unitate pentateuchi scripturus sum.

[12] Sub apostolis, qui Edessam venerunt, Thomam et Adaeum (Thaddaeum) intellexisse videtur.

[13] Partem ossium S. Joannis Baptistae Edessae asservatam esse, ex hoc tantum loco discimus. Quae autem a ceteris scriptoribus veteribus de reliquiis Baptistae traduntur, haec sunt: Rufinus, Theodoretus, Chronicon Ale-

runt ad terram nostram. Per Guriam et Samonam et socium eorum Chabib martyres venerunt et visitaverunt nos.

XXXIV. Rursus de Carrhis.

Ad modum: Sponsa regis.

[1] Abram, medicus inclitus, venit Carrhas, quae erant aegrotae; exploravit eas et miratus est et deflexit in terram Chanaan. Profectus est in Aegyptum, totum ejus corpus inspexit et descendit; et sanavit et medicatus est per verbum veritatis. Si Abraham tibi non suffecit, quis tibi sufficiet, o Carrhae, quibus dulcis est morbus? (Responsorium: Laudetur ille, qui nunquam dereliquit genus humanum, sed qui multiplicavit omnibus temporibus infirmarios suos!). [2] Jacobus, medicus celeber, venit Carrhas, ut inspiceret eas; exploravit, habitavit et deseruit eas. Sine intercessione per viginti annos medicatus est iis. Cum vero videret eas insanire et in ipsum hostili animo insurgere, deseruit eas et emigravit. Ecce aquae tuae amarae sunt et infantes tui acerbi; o Carrhae, edulcare cruce! [3] Babylon vicina est illi aedificio, quod deseruerunt aedificatores; Aegyptus vicina est Sodomitis; tu autem, Carrhae, ecce aerarium meum est in vicinitate tua, inclita nimirum pulchraque Edessa. Filia, similis esto matri tuae, quae est sal in terra, et sali ejus doctrinâ mentem tuam! [4] Qui ad momentum intuetur in speculum, ornatur per illud, tu autem,

---

xandrinum affirmant, Julianum sepulcrum ejus Sebastae Palaestinae aperuisse, ossaque dispersisse et cremasse. Rufinus addit, ea a quibusdam monachis servata et S. Athanasio tradita esse. Caput autem Sozomenus a monachis Hierosolymis inventum primum in Ciliciam asportatum esse, et a Theodosio imperatore, postquam idem a Valente frustra tentatum sit, Constantinopolim delatum narrat. Quae omnia verbis Ephraemi non repugnant, quippe qui de particula tantum harum reliquiarum loquatur. — Gurias et Samonas sub Diocletiano, Abibus autem sub Licinio Edessae martyrio coronati sunt.

XXXIV. Laudat summam curam et sollicitudinem, quam Deus semper adhibuit, ut homines ad veram sui agnitionem perduceret, dolet autem, quod Carrhae tam pertinaciter in errore persistant, omnibus Dei medicamentis rejectis et neglectis, quamquam vicina Edessa bonum exemplum iis ostentet.

Carrhae, turpis es. Ecce speculum tuum pulchrum et purum est; esto igitur ornata in eo, in benedicto, quod coram te positum est, ut placeas Jesu! Inspice in illud et pulchra fias per illud, ut sit tibi utilitati et non dedecori! [5] Videte Aegyptum aegrotam, quae et ipsa sanata est per eum, qui sanat omnia. At Carrhis gangraena idololatriae serpit, et si sanata videtur, nulla est de valetudine securitas, quia earum vulnus per omnes occasiones rursus rumpitur. Babylon et Carrhae et Aegyptus, hae tres, baptizamini et induimini tribus nominibus. [6] Si autem mundus similis est magnae illi statuae, quam vidit tyrannus, caput est Babylon, medietas terra Judaeae, et pro pedibus ponenda est Aegyptus. Hoc est magnum corpus, quod summi medici curaverunt. Bonus Deus, sicut magnus medicus, inspectionem suam per servos suos in omnes partes extendit. [7] Et quemadmodum Abraham medicus a capite profectus sanavit et descendit, ita etiam Moyses medicus a pedibus profectus est. Heu aegrotum illum, cui medici assistunt ab omnibus partibus, et cui nihilominus post sanationem jucundus est morbus! Laudetur ille, qui nunquam deseruit genus humanum, sed multiplicavit omnibus temporibus auxilia ejus! [8] Et sicut calcem aegrotam sanavit Joseph terram Aegypti; prophetae autem sanaverunt Sion, tanquam cor; Daniel quoque Babyloni medicatus est, tanquam capiti, quod insanivit in deserto et sanitati restitutum est et Deo gratias egit. Aegyptus erat medica, celebris medicamentis suis, cujus dolores per ipsius voluntatem indurati sunt. [9] Universus mundus, sicut corpus, aegrotus factus est per morbum erroris, et instituerunt celeberrimi medici, infirmarii ejus, ut sanaretur ab occulto morbo animi, et surgeret et laudaret Deum, qui ejus misertus est. Laudetur ille, qui justos circumire fecit omnes mundi partes, ut aegrotum mundum curaret! [10] Non autem sufficere poterant mundo medici cum medicamentis suis. Vidit hoc medicus, qui omnibus sufficit, et miseratione ductus

---

[10] Hanc stropham non tam ad mortem salutarem Jesu Christi, quam ad eucharistiae sacramentum pertinere, apparet ex verbis *medicamentum vitae*, quae solemnia sunt ad eucharistiam significandam.

abscidit a corpore suo, superposuit vulneri ejus, et sanavit dolorem nostrum carne et sanguine suo et incolumem reddidit plagam nostram. Laudetur medicamentum vitae, quod sufficit et sanat morbum animarum doctrinâ suâ! [11] Jesus est medicus noster et ita sanati sumus per eum, ac si semper in eo fuissemus. Cum Deus sit, novit naturam et morbum animae, quia ipse est creator et restaurator ejus, medicus et medicamentum. Laudetur ille, qui creavit illud, quod non erat, et rursus erexit illud post peccatum et lapsum! [12] Medici mundani per dolorem sanare possunt. Valde terribilis est manus eorum vulneratis. Nostro autem vulneri valde grata est attrectatio manus tuae, quia digitus tuus attrectat nos misericorditer. Laudetur ille, ex cujus vestibus benedictis et lenibus, egressa est virtus et sanavit leniter! [13] O bone, qui laborasti in mundo, ut omne ejus corpus incolume fiat, noli despicere, Domine, in misericordia tua, hoc unicum membrum miserum. In corpus justorum, Domine, inseratur, et maneat infixum cum iis in aeternum! Domine qui infixisti aurem abscisam, noli me abscidere a te, quia iram tuam excitavi.

XXXV. De Domino nostro et de morte et diabolo.

Ad modum: Cornu et tuba.

[1] Proclamavit vox, et congregatae sunt et advenerunt copiae diaboli cum ministris ejus; convenit universus exercitus zizaniorum, quia viderant triumphasse Jesum, dolorem illum partis sinistrae; nemo enim erat ex illis, qui non excruciatus erat ab eo. Singuli renarrare coeperunt omnia, quae pertulerant. Peccatum et Hades

---

XXXV. Poeta inducit Diabolum et Mortem cum Peccato, Hade, omnibusque daemonibus ea nocte, qua Dominus in monte olivarum orabat, paulo antequam tradebatur, convenientes et invicem de detrimento, quod per Jesum accepissent, conquerentes. Daemones occisionem Jesu suadent, sed diabolus eam periculosam censet et magno timore laborat. Tandem decernitur, ut diabolus Judam et daemones ejus Pharisaeos ad Jesum capiendum excitent.

expaverunt; tremuit Mors, quia mortui rebellaverunt, et Diabolus, quia peccatores rebellaverunt contra eum. (Responsorium: Gloria sit tibi, quem vidit Malus et perturbatus est!). [2] Clamavit Peccatum, consilium dedit filiis suis, diabolis et daemonibus, et ait illis: Legio, caput acierum nostrarum, jam non est, mare devoravit eum et socios ejus. Vos quoque, filii mei, hic Jesus perdet, si eum parvipenditis. Vobis, qui cepistis Salomonem, opprobrio esset, si vinceremini a discipulis illius, piscatoribus et idiotis; ecce enim ceperunt praedam hominum, quae a nobis capta erat. [3] Hoc est omnium pessimum, inquit Malus de salvatore nostro, quod non sufficiebat ei nos spoliasse, sed quod etiam incepit, vindictam a nobis quaerere pro Jona, filio Amathi; a Legione fortasse reposcit eum, quem prehendit et in mare projecit. Jonas quidem post tres dies rursus emersit et ascendit, Legio autem nec post longissimum tempus, quia profunditas maris retinet eum secundum Dei praeceptum. [4] Incitare studui Jesum post jejunium ejus ad suavem panem percipiendum, sed nulla cupiditate motus est. Tum ad summam tribulationem meam laboravi, ut psalmum discerem et eum per ipsius psalmum caperem; cessavi et iterans didici, sed inutilem fecit iterationem meam. Tum eum ascendentem feci in montem et monstravi ei omnes possessiones; dedi eas illi, sed non desideravit. Melius mihi erat in die Adami, ad quem docendum mihi non multum laboris opus erat. [5] Cessavit Malus a sedulitate sua et ait: Hic Jesus me otiosum esse cogit; ecce enim publicani et meretrices confugerunt ad eum; quodnam opus jam mihi poscere potero? Ego, qui fui magister omnibus hominibus, cuinam discipulus ero? Peccatum rursus ait: Oportet me jam deserere et mutare naturam meam; hic enim, filius Mariae, qui venit, tanquam nova creatura, creavit genus humanum. [6] Mors edax lamentavit et ait: Jejunium didici, quod non noveram; ecce Jesus congregationes instituit; mihi autem convivium ejus jejunium indicit. Unus homo clausit os mihi, qui clausi ora innumerabilia. Hades ait: Reprehendam edacitatem meam; nunc enim famem patior. Ecce triumphator, quemadmodum in nuptiis mutaverat aquam in vinum, ita vestem mortuorum mutavit in vitam. [7] Et tamen Deus fecit

diluvium et abluit terram et purificavit peccata ejus; rursus applicuit ei ignem et sulphur, ut dealbaret maculas. Dedit mihi per ignem Sodomitas et per diluvium gigantes; clausit ora exercitûs Sennacherib et aperuit os Hadae., Talia et similia mihi placuerunt; nunc autem pro interfectionibus per justitiam, fecit in filio suo vivificationem mortuorum per gratiam. [8] Vidi prophetas et justos, inquit Malus sociis suis; et quamquam vires eorum valde fortes erant, tamen iis inerat odor quidam meae naturae. Figmentum enim hominum cognatum est fermento nostro. Hic autem indutus est corpore Adami et perturbat nos, quia non dominatur in eum fermentum nostrum. Certe et homo est et Deus, quia humanitas ejus mixta est cum divinitate ejus. [9] Vidi Adamum, illum fontem, ex quo profluxerunt omnes generationes. Infantes ejus exploravi et tentavi singulos, et nunquam vidi hominem, cujus altera pars divina et altera humana erat. Moysen, qui claritate sua splendebat, rursus tentavi et perturbavi eum per linguam ejus, hunc autem ne per cogitationem quidem; valde enim purus est fons cogitationum ejus. [10] Cupiditas carnis in omnibus corporibus exsistit, quae et vigilat in iis, si ipsa dormiunt. Illum enim, qui vigil puritatem conservat, per somnium perturbo. Faex corporis excitatur in ipso per commotionem occultam in somnio. Vigiles et dormientes quoque perturbo similiter. Hic autem solus purus est, quem ne in somnio quidem ad libidinem excitare possum, quia etiam in somno suo purus et sanctus est. [11] Diversa autem erat etiam pueritia ejus ab aliis pueris, quos vidi. Non enim vidi in eo partem aliquam meae naturae. Pueritiam ejus pertimui, ideoque incitavi Herodem, ut interficeret eum una cum infantibus. Sed etiam quod evasit, magnum mihi injecit

* S. Ephraem unionem hypostaticam naturarum in Christo per voces ܚܠܛ et ܡܙܓ exprimere solet, quae tamen minime sensu monophysitico explicari possunt. Haec enim verba de quacunque unione usurpantur et saepe expresse additur, res, quarum unitio iisdem exprimuntur, nihilominus remanere distinctas seu ab invicem separatas (ܦܪܝܫܢ) et non esse permixtas (ܒܠܝܠܢ). Cf. testimonia, quae profert Assemanus (B. O. I, 80 sqq. 107), quibus addantur ed. rom. III 71 E. F; 137 C; 173 E; 181 A; 195 A. B.

timorem; quomodo enim secretas insidias nostras scire potuit? Accepit dona magorum, illusit nobis et profectus est et evasit gladio nostro. [12] Vidi pueros justorum et infantes castarum, et exploravi eos singulos ab utero et vidi in iis fermentum nostrum. Erant enim iracundi et maledici, fervidi et gulosi; fructus erant, qui non nisi per disciplinam maturi et dulces fieri possunt. Hic autem ab ipsa progerminatione sua erat fructus bonus; possidet enim dulcedinem illam, qua peccatores edulcantur. [13] Cum adhuc infans esset, docebat homines. Obstupuit etiam sacerdos, qui portavit eum, ob splendorem super eum. Sapientia senili usus est. Joseph eum cavit; mater de eo gloriata est. Auxiliatus est jam in pueritia sua omnibus, qui eum videbant. Proderat iis, qui eum cognoverant. Inde a die, quo venit in mundum, auxilium erat generi humano per virtutes suas. [14] Unde propullulavit mihi fructus Mariae, haec uva vini praeternaturalis? Ecce positus sum in dubitationibus; si enim averto me et relinquo eum, timeo, ne doctrinâ ejus edulcentur ii, qui possident acerbitatem meam; si autem opprimo et conculco eum, rursus horreo, ne forte convertatur in novum vinum peccatoribus, quo inebriati obliviscantur idolorum suorum. [15] Ecce timeo utrumque, et mortem et vitam ejus. Responderunt autem diabolo ministri ejus et consilium dederunt ei: Quamquam utrumque durum est nobis, tamen hic labor est nobis paulo commodior, ut eligamus mortem ejus prae vita ejus. Dicat nobis Mors, num unquam aliquis e justis rursus resuscitatus sit. E filiis gigantum et illustrium nemo est, qui emerserit ex Hade devoratore. [16] Diabolus: Flatum venti homo explorare potest; quis autem filium Mariae explorabit? Cum enim lacrimas funderet, me depeculatus est. Rursus cum ei locutus essem: demitte te de sancto templo!, putabam, eum ob metum non se demisisse; sed cum dejecissent eum de monte, volavit in aere. Rursus autem fatigatus est et consedit super puteum. Non constat mihi de variationibus ejus, quia in sicco et in aqua ambulat. [17] Vidi eum esurientem sicut hominem, sed hoc solvebatur per panem, quem multiplicavit. Ab initio exploravi eum et adveni; interrogavit tanquam nesciens; sed hoc quoque solvebatur, cum monstraret,

se arcana optime scire. Porro elegit Iscariothem, quasi nesciens, et rursus monstravit, se eum perspectum habere, quanquam ligabat et solvebat. Erravi de eo, quia baptismate submersus emersit et me demersit. [18] Unum autem signum, quod vidi in eo, me prae omnibus confortat; vidi enim eum orantem et laetatus sum, quia mutatus est color ejus et timuit. Guttae sanguinis erat sudor ejus, quia praesensit venisse diem suum. Hoc signum pulchrius mihi videbatur, quam alia omnia, nisi fortasse me eo fefellerit. Si autem me decepit, tum actum est et de me et de vobis, ministri mei! [19] Clamavit exercitus daemonum et ait: Hoc est signum exosum, quod videmus in te; nunquam enim antea tale quid tibi accidit. Antea enim semper celeberrimus eras ob consilia tua prompte et celeriter capta; nunc autem filius Mariae capit arces nostras, et tamen differs declarationem tuam! Exsurge, egredere, pugnemus cum eo! Opprobrium enim nobis esset, si multi ab uno vinceremur. Si autem dolore aut timore impediris, da nobis saltem consilium proelio dirigendo, et remane! [20] Diabolus: E verbis hujus Jesu possum discere, quomodo nobis cum eo pugnandum sit; ait enim: Si diabolus in se ipso divisus est, non poterit consistere. Ita, quamquam nobiscum pugnare vult, dedit nobis arma contra se ipsum. Egredimini igitur, dividite mihi discipulos ejus; si enim divisi sunt, vos eos vincere poteritis per debiles, per serpentem scilicet et Evam, per quam vici primum Adam. [21] Mors respondit Diabolo et ait ei: Cur quiescis contra consuetudinem tuam? Ecce enim contemptibiles quoque et minimos capiebas sedulo; Jesum autem, qui major est omnibus, quomodo quaesivisti, ut caperes eum? Experientia telorum ejus terruit te, quae conjecit in te, cum a te tentaretur. Tu et ego cum servis nostris, omnis congregatio nostra non sufficiens est

---

[18] Ex hoc quoque versu apparet, mentionem sanguinei sudoris Domini Luc. 22, 44 olim in peschittha exstitisse et postea demum per falsam quandam pietatem ablatam esse (cf. II 392 b; III 604 d; B. O. I, 97).

[21] Verba: *ut caput loquatur cum capitibus* significant: ut tu, caput daemonum, per os Judae cum capitibus populi judaici, sacerdotibus, de prodendo Jesu loquaris.

ad pugnandum cum filio Mariae. [22] Ego autem hoc consilium do, si jurgium nostrum permittet nobis, ut aliquid faciamus: Abi et habita in illo discipulo ejus, ut caput loquatur cum capitibus; et emitte totum exercitum tuum, ut abeat et excitet Pharisaeos; et cave, ne loquaris contentiose secundum consuetudinem tuam: Si Deus es, demitte te hinc! Sed osculare eum amice et trade eum, et ecce nos adducemus zelum et gladium Levitarum.

XXXVI. Alterum carmen ejusdem modi.

[1] Dominus noster subjecit fortitudinem suam iis, qui eum prehendebant, ut mors ejus viva vivificaret Adamum. Dedit manus suas uncinis clavorum pro manu, quae fructum decerpserat. Alapas accepit in judicio pro ore, quod manducaverat in Eden. Et pro eo, quod Adam pede suo paradisum reliquerat, pedes illius infixi sunt. Dominus noster vestibus exutus est, ut nos castos redderet. Felle et aceto edulcavit amaritudinem serpentis, quae effusa erat in genus humanum. (Responsorium: Laudetur ille, qui mihi victoriam dedit et vivificavit mortuos ad gloriam suam!). [2] Mors: Si Deus es, monstra potentiam tuam; et si homo es, experire potentiam nostram! Si forte Adamum quaeris, abi! Hîc enim inclusus tenetur ob debita sua, nec possunt Cherubim vel Seraphim pro eo debitum solvere. Nemo enim ex iis mortalis est, ut possit dare animam suam pro eo. Quis aperiet os Hadae et immergetur et efferet eum ex illo, qui illum devoravit et retinet in aeternum? [3] Ego vici omnes sapientes; ecce in angulis Hadae cumulati sunt mihi. Veni, intra, fili Josephi, et vide terribilia, membra gigantum, magnum cadaver Samsonis et dura ossa Goliath, nec non Og, filium gigantum, qui fecit sibi lectum ferreum, in quo cubaret; ego autem eum inde dejeci et prostravi; humiliavi hanc cedrum in porta Hadae. [4] Ego sola vici multos, et nunc

---

XXXVI. Mors Salvatori in cruce pendenti illudit et suam universalem potentiam extollit, quae a Jesu superari nequeat; promissionem enim resurrectionis vaniloquium esse. Mox autem, postquam Dominus in haden intravit et mortuos revivificavit, magno timore perculsa veniam superbiae suae petit.

unicus me vincere studet. Prophetas et sacerdotes et nobiles abduxi, vici reges in aciebus eorum, et gigantes in venationibus eorum, et justos in virtutibus eorum. Flumina cadaverum jacent mihi in Hade, et tamen adhuc sitit, quantumvis multa cadavera in eum infusa sint. Omnes homines, propinqui et remoti, morte portam Hadae frangere debent. [5] Contempsi argentum divitum et non corruperunt me dona eorum. Domini servorum nunquam mihi persuaserunt, ut abducerem servum pro domino ejus,' aut pauperem pro divite, aut senem pro infante. Sapientes, qui vel animalibus persuadere possunt, tamen persuasionem suam meis auribus ingerere nequeunt. Osorem persuasionis nominant me omnes; facio enim quaecunque mihi mandata sunt. [6] Quis est hic cujusque filius, et quae est gens ejus, qui me vicit? Liber generationum penes me est, quem percurri et studiose in eo legi nomina inde ab Adamo hucusque, et neminis mortalium oblitus sum. Ecce omnes generationes conscriptae sunt in membris meis. Propter te, o Jesu, eas percurri et ad calculum vocavi, ut monstrarem tibi, neminem effugisse manibus meis. [7] Duorum quidem, ne mentiar, virorum nominum oblitus est Hades. Henoch enim et Elias non venerunt ad me. In universo mundo quaesivi eos, etiam in eum locum, quo descenderat Jonas, descendi et perscrutata sum, sed non inveni eos. Cum autem putassem, eos ad paradisum ascendisse et ita effugisse, Cherub terribilis custodivit eum. Scalam viderat Jacobus; fortasse hâc ascenderunt in coelum. [8] Quis mensuravit arenam maris et dua tantum grana dispersit? Manipulos autem hujus messis, in qua omnibus diebus laborant morbi, tamquam messores, ego sola asporto et coacervo. Aliis coacervatoribus quando festinant, manipuli e manibus delabuntur, vinitores saepe uvarum obliviscuntur; mihi autem duo tantum acini evaserunt ex magna illa vindemia, quam sola decerpsi. [9] Ego feci, inquit mors, in terra marique omnes venationes; aquilae in aere ad me veniunt, et ceti in abysso. Vermes, aves et bestiae, senes, juvenes et pueri, hi omnes persuadebunt tibi, o fili Mariae, meam potestatem super omnia regnare. Quomodo me vincere potest crux tua, cum per lignum triumphaverim et vicerim antea? [10] Cuperem

plus loqui, non enim sum verbis destituta, nec mihi verba quaerenda sunt. Ecce autem poscunt me opera propinqua; ego non, sicut vos, simplicibus arcana promitto, scilicet fore aliquando resurrectionem. Si autem tam fortis es, da arrhabonem propinquum, ut etiam remotae promissioni tuae fides tribuatur. [11] Mors finivit orationem suam ludibriosam, et vox Domini intonuit in Hade; et clamavit et rupit sepulcra singula. Mors tremore perculsa est; in Hade, qui antea nunquam luxerat, fulgura fulserunt per angelos, qui intraverunt et obviam miserunt mortuos illi mortuo, qui omnes vivificat. Egressi sunt mortui et pudefacti vivi, qui putaverant, se vicisse vivificatorem omnium. [12] Quis autem dedit mihi diem Moysis, inquit Mors, qui mihi festum faciebat? Ille enim agnus in Aegypto dedit mihi primogenitum ex omnibus domibus, cumulos primogenitorum coacervavit mihi ad portam Hadae. Hic autem agnus festi depraedatus est Haden, mortuos decimavit et abduxit a me. Ille agnus implevit mihi sepulcra, hic autem evacuavit plena sepulcra. [13] Mors Jesu est mihi tormentum; optabilior est mihi vita, quam mors ejus. Hujus mortui mors mihi exosa est. De morte omnium hominum gaudeo, sed hujus mortem odi. Spero eum rursus in vitam rediturum esse; cum enim viveret, tres tantum mortuos vivificavit et excitavit. Nunc autem per mortem ejus mortui vivificati conculcaverunt me in porta Hadae, cum venissem, ut eos retinerem. [14] Curram et claudam portas Hadae ante hunc mortuum, cujus mors me depraedata est. Audiens admirabitur humiliationem meam, quod victa sum a mortuo extraneo. Alii omnes mortui egredi cupiunt, hic autem se ingerere studet. Medicamentum vitae intravit in Haden et vivificavit mortuos ejus. Quis mihi importavit et occultavit vivum ignem, quo illuminantur sinus frigidi et tenebrosi Hadae? [15] Mors vidit angelos in Hade, immortales pro mortalibus, et ait: Perturbatio invasit habitationem nostram; duae res mihi tormento sunt, quod mortui egressi sunt ex Hade, et quod angeli immortales intraverunt in eum. Ecce unus intravit et sedet ad cervical sepulcri Jesu, et alius socius ejus ad pedes. Rogabo et persuadebo ei, ut cum pignore suo ascendat et abeat ad regnum suum. [16] O

bone Jesu, noli mihi succensere propter verba, quae coram te locuta est superbia mea! Quis enim, qui vidit crucem tuam, non sine dubitatione te hominem habuisset; quis e contra, qui videt potentiam tuam, non te etiam Deum credat? Ex utroque ergo didici, quod confiteor, te hominem et Deum esse. Cum mortui in Hade poenitentiam agere non possint, ascende ad vivos et praedica poenitentiam, Domine! [17] O rex Jesu, accipe precem meam, et cum prece mea cape tibi pignus! Adamum, magnum illud pignus, abduc tecum, in quo occulti sunt omnes mortui, quemadmodum, cum ego accepissem eum, in eo occulti erant omnes vivi. Primum pignus dedi tibi, corpus Adami; ascende nunc, regna super omnia, et, quando audiam tubam tuam, ipse educam mortuos ad adventum tuum. [18] Rex noster vivus abiit et ascendit tanquam victor ex Hade. Duplicavit mala sinistrae parti; spiritibus et daemonibus erat miseria, diabolo et Morti passio, Peccato et Hadae tristitia. Laetitia autem hodie evenit parti dextrae. Propter hanc igitur magnam diem magnam laudem tribuamus ei, qui mortuus erat et revixit, ut omnes vivificet et excitet!

XXXVII. Tertium carmen ejusdem modi.

[1] Mors deflebat Haden, cum videret thesauros ejus evacuatos esse, et ait: Quis, quaeso, diripuit divitias tuas? Giesi furatus erat et detectus est. Meum autem furtum non apprehensum est apud me, quamquam omnibus diebus furor. Mittor ad reges in morbis eorum; circumdantur a custodibus suis et in porta quoque custodes sunt. Ego autem eripio animam regum et egredior. (Responsorium: Laudetur ille, qui confregit aculeum Hadae per crucem suam!) [2] Contristatae sunt omnes steriles, Hades autem gaudet de sterilitate sua; si enim parit, desertus fit. Potestas,

---

XXXVII. Mors conqueritur, quod Jesus non solum, dum in terris commoretur, complures mortuos resuscitaverit, sed etiam aliquando per resurrectionem mortuorum Haden omnino desolaturus sit.

quae cogit omnia, oppressit sinum sterilem et frigidum, et reddidit Hades, quamquam debitum denegare solet. Rebecca, cum affligerent eam duo infantes, mortem poposcit. Quanto major erit dolor Hadae, quem invaserunt dolores puerperae inauditi; nam excitati sunt mortui et perruperunt eum et exierunt ex eo. [3]Num fortasse hoc illud effatum est, quod audivi a Jsaja, sed contempsi illud; constitit enim et ait: Quis unquam tale audivit, quod terra parturit in uno die et parit populum in una hora? (Js. 66, 8). Num hoc est illud, quod factum est, an fortasse nobis in futurum reservatur? Et si adhuc instat, vana umbra est, quod me regem putavi; non enim sciebam, me depositum tantum custodire. [4]Duas autem voces diversas audivi ab hoc Jsaja. Dixit enim, virginem gravidam fore et parituram, et dixit rursus terram parituram esse. Ecce autem virgo peperit illum et Hades sterilis peperit illum; duo uteri praeternaturales, Hades et virgo, per eum transformati sunt. Virginem partu suo laetificavit; Haden autem resuscitationibus suis contristavit et afflixit. [5]Vidi Ezechielem, qui vivificavit mortuos in campo, cum interrogaretur; et vidi ossa confusa moveri. Erat tumultus ossium in Hade; alterum enim os alterum quaesivit et alter articulus alterum. Hic autem nemo est, qui interroget aut interrogetur: num reviviscant haec ossa, sed sine interrogatione vivificavit ea vox Jesu, dominatoris creaturarum. [6]Contristatus est Hades, cum videret tristes mortuos hilares factos esse. Deflebat Lazarum egredientem: Abi in pace, mortue vive, qui planctus es duobus planctibus. Extra et intus Lazarum lamentati sunt; sorores enim ejus fleverunt, cum venisset ad me in sepulcrum, ego autem deflevi eum, cum egrederetur. Per mortem ejus erat lamentatio inter vivos, et per resurrectionem ejus magna tristitia in Hade. [7]Nunc gustavi gustum tristitiae ejus, qui deflet dilectum suum. Si enim mortui tam dilecti sunt Hadae, quanto cariores erunt parentibus suis? Membra, quae abscidi et abstuli, ecce nunc a me quoque abscisa et ablata sunt. Si ego tantopere dolui de discessu illius juvenis, qui excitatus est, laudetur ille, qui misertus est viduae; in unico filio ejus pacem reddidit domui ejus orbatae. [8]Hic dolor, quo afficio homines in

dilectis eorum, ad extremum totus super me congregatur. Si enim mortui reliquerint Haden, omnibus hominibus erit resurrectio et mihi soli cruciatus. Quis haec omnia tolerare possit, quae mihi subeunda sunt, nempe ut videam Haden desolatum, quia haec vox, quae rupit sepulcra, eum desolabit et ex eo educet mortuos? [9] Si quis legit in prophetis, audiet ibi de justis bellis; si vero quis historiam Jesu considerat, instruitur de gratia et misericordia. Et si quis putat Jesum Deum alienum esse, me ipsum conviciis petit. Clavis enim alia aliena nunquam infigi potest portae Hadae; unica tantum est clavis creatoris, quae eum aperuit et aperiet in adventu ejus. [10] Quis reconstruere potest ossa, praeter potentiam creatoris eorum? Quis recompingere potest testas corporis praeter manum factoris? Quis rursus disponet imagines praeter digitum creatoris? Ille, qui creavit et rursus destruxit, potest etiam renovare et excitare. Alienus autem Deus nequit intrare et disponere creaturas, quae non ipsius sunt. [11] Si Jesus esset potentia aliena, valde gauderem de adventu ejus ad me. In sinum Hadae descenderet, ibique disceret, unum tantum esse Deum. Mortales, qui erraverunt et proclamaverunt, plures esse Deos, ecce vincti sunt mihi in Hade, et Dii eorum nunquam doluerunt de iis. Ego unicum Deum novi, et prophetas et apostolos ejus scio.

XXXVIII. Quartum carmen ejusdem modi.

[1] Stabilitus erat thronus meus in Hade et surrexit unus mortuus et detraxit me de eo. Me solam omnes homines timebant, et ego nullum hominem timui. Timor et sollicitudo inter vivos sunt, pax et quies inter mortuos. Ecce vir interfectus tamquam

---

[9] Marcionem refellere videtur, qui in Jesu bonum Deum, diversum a creatore et hominibus hucusque prorsus ignotum apparuisse docuit. Certe etiam alias Deus bonus Marcionis a S. Ephraemo alienus vel peregrinus (ܢܘܟܪܝܐ) vocatur, cf. ed. rom. II 534 C.

XXXVIII. Mors dolet, quod per mortem Jesu mortui vivificati sint, simulque se in homines bene meritam esse praedicat. Subjungitur demonstratio Jesum primogenitum resuscitatorum esse.

captivator intravit Haden et ego, qui omnes homines captivabam, per hunc filium captivitatis, quam captivavi, ipsa captivata sum. Abduxit enim praedam meam et abiit ad paradisum. (Responsorium: Laudetur ille, qui vivificavit mortuos Hadae per crucem suam!) [2] Omnes homines valde de me conqueruntur, ego de uno tantum conqueror. Quis est inter homines, qui me justitiâ aequet? Num unquam corruptio pervenit ad integritatem meam? Omnes homines diligo et ipse osor meus scire debet, me semper nescivisse, quid sit corruptela. Regum rationem non habeo; per me enim praedicatur aequalitas, quia servum et dominum ejus in hade aequales facio. [3] Coram Deo ministro, qui et ipse nullius personae rationem habet. Quis est alius, qui talia tolerat ac ego; conviciis enim petor, quamquam beneficia tribuo. Perverso modo remunerantur me homines pro optimis meritis meis. Quamquam opera mea pulchra sunt, nomen meum non pulchrum est. Sed mens mea quieta remanet in firmitate sua; consolatur me exemplum Dei, qui et ipse, quamquam bonus est, ingratitudine semper afficitur et hoc patienter tolerat. [4] Senes removeo ab omnibus doloribus, et juvenes ab omnibus peccatis; in hade finio bellum secretum. Peccatum non est in regione nostra; hades enim et coelum sola sunt immunia ab omnibus delictis. In hac terra autem, quae media inter illa constituta est, peccatum habitat; itaque prudens aut ad coelum ascendat, aut, si hoc nimis difficile est, descendat ad haden accessu faciliorem. [5] Omnes concurrunt ad unum hominem, ut eum consolentur de uno mortuo. Ad me autem, cui plurimi mortui vivificati sunt, nemo venit, ut me consoletur. Diabolus tantum infremens venit, cui septies maledictum est; tamen adhuc elatus est spiritus ejus, quamquam valde conculcavit eum filius Mariae; est enim serpens oppugnans et contritâ. Mihi autem consultius est, ut humi procumbam et adorem coram hoc Jesu, qui vicit me cruce sua. [6] Quando venerit ad portam hadae pro Joanne, qui praedicavit ante eum, clamabo: Ecce, vivificator mortuorum advenit; nunc servus tuus sum, o Jesu; propter carnem tuam te dedecoravi, quia operiebat divinitatem tuam. Noli itasci, o fili regis, thesaurario tuo! Secundum

mandatum tuum aperui et clausi, et cum valde veloces sint alae meae, nutui tuo obsequens curro in omnes mundi regiones. [7] Omnes resuscitati non erant primogeniti; Dominus enim noster est primogenitus hadae. Quomodo mortuus possit anteire huic potestati, per quam resuscitatus est? Sunt alii quoque ultimi qui facti sunt primi, et juniores, qui facti sunt primogeniti. Cum enim Manasses primogenitus esset, quomodo Ephraim accipere potuit primogenituram? Et si filius ultimus praevenit primum, quanto magis praeveniet Dominus et creator resurrectione sua! [8] Ecce Joannes, tamquam praeco, docet nos, se posteriorem esse, quamquam senior erat. Ait enim: Ecce virum, qui venit post me, quamquam ante me erat! Quomodo enim praevenire potuerit hanc potentiam, quam praedicabat? Omne enim, quod propter aliud exsistit, hoc posterius est, quamquam prius videtur; causa enim, quae illud in existentiam vocavit, eo omnino antiquior et prior est. [9] Causa Adami antiquior est creaturis, quia propter ipsum factae sunt. In Adamum enim creator semper prospiciebat, cum crearet. Si ergo Adam, cum nondum existeret, antiquior erat creaturis, quanto magis tu, Domine, antiquior eris omnibus! Humanitas enim tua conjuncta est divinitati tuae, quae ab aeterno cum patre tuo est. Laus sit tibi et per te patri tuo ab omnibus! [10] Gloria sit tibi, qui primus es in divinitate et humanitate tua. Etsi enim Elias ante te ascendit, non tamen potuit praevenire eum, propter quem assumptus est. Nam typus ejus dependet a veritate tua; et quamquam apparenter praeveniebant typi veritatem tuam, haec tamen secreto illis prior est. Praeveniebant etiam creaturae Adamum, et tamen ipse illis prior erat, quia propter ipsum constitutae sunt. [11] Domine, fac mihi resurrectionem, non necessitatis, sed amoris tui! Necessitas enim tua etiam peccatores vivificat, sed Iscariothes multo potius eligeret

[7—10] Hae strophae non Morti, sed ipsi poetae, ut e str. 11 apparet, tribuendae sunt. Demonstratur in iis, Jesum primum esse omnium resuscitatorum, quia omnes antea resuscitati nonnisi propter illum vivificati sint, et causa semper antiquior sit effectu.

sibi mortem hadae, quam vitam gehennae. Fac mihi igitur resurrectionem misericordiae tuae; et si hoc non permittit justitia tua, causam relinque gratiae tuae; meminerit mei pro hoc solo, quod ad eam confugi!

XXXIX. Quintum carmen ejusdem modi.

[1] Venerunt ad me redimentes a justis, sed nemo me ita depraedatus est, ac filius Mariae. Ecce enim Elias vivificavit mortuum; et quamquam ipse evasit manibus meis, hoc mihi solatium erat post eum, quod mortuum, quem vivificaverat, eripui ei. Ab Elisaeo, filio Saphat, virgis caesa sum; duos enim mortuos vivificavit. Ego autem uno baculo rursus abduxi et prophetam et mortuos, quos vivificaverat. (Responsorium: Laudetur ille, qui clavi sua aperuit sepulcra hadae!) [2] Timui Giesi, cum viderem, eum baculum ponere super puerum. Fur autem ille rursus abstulit baculum et rediit; venit Elisaeus et incurvavit se, et minutus est cum puero et rursus dilatatus est, et huc illuc postea ambulavit. Stupui ob novos typos, quos ibi vidi, qui tamen unum tantum puerum vivificaverunt. Gratulandum mihi erat, quod adhuc typi tantum exstabant et non jam mortui se opponebant et me vincebant. [3] Timui Moysem, cum viderem magnum splendorem in facie ejus. Non autem accidit mihi, quemadmodum timueram. Nam fecit mihi efflorescere Nisan in hade, pascua cadaverum sexcentorum millium, quae ceciderant. Hic autem contemptus et humilis, quem despexi, sanavit aegrotos et morbidos. Aliis panem multiplicavit, nobis autem panem nostrum ex ore eripuit. [4] Convivium magnum erat in hade, cum deglutivissem Core ejusque asseclas; gaudium magnum fecit mihi diabolus, cum fecisset schisma inter levitas. Fontem lactis et mellis mihi fluere fecit in deserto arido,

---

XXXIX. Mors lamentatur, quod per Jesu mortem et ad inferos descensum mortui vivificati sint. Comparat Jesum, qui mortuos resuscitat et summam lenitatem praecipit, cum sanctis veteris foederis, qui zelo pleni erant et haden cadaveribus peccatorum occisorum impleverant.

cum congregatio peccatorum descenderet ad hadem. Nunc autem vivificati et egressi sunt justi. Moyses vivos ad haden descendere fecit, Jesus autem resuscitavit et ascendere fecit mortuos. [5] Bene mihi erat in diebus zelatorum, quia gladia eorum me laetificabant. Phinees zelator transfixit et dedit mihi cuspide hastae suae ad convivium Zambri una cum Cozbi, quos mihi in cuspide lanceae suae porrigebat. Cuinam unquam duo boves saginati in cuspide hastae oblatae sunt? Jesus autem pro Cozbi, filia principum, filiam Jairi e manibus meis eripuit. [6] Turibulum Aaronis terruit me, quia surrexit inter mortuos et vivos, et vicit me. Sed crux multo magis terret me, quia aperuit sepulcra hadae. Per crucifixum, quem in ea interfeceram, nunc ipse interfecta sum. Non magna est ignominia ejus, qui vincitur a viro armato. Mea autem ignominia adhuc major est cruciatu meo, quia fortitudo mea victa est per virum crucifixum. [7] Sed etiam hasta Phinees terruit me, quia caede sua cohibuit internecionem. Hasta servavit arborem vitae, laetificavit me et contristavit me. Cohibuit enim hominem a vita, sed cohibuit etiam mortem a populo. Per illam autem hastam, qua Jesus caesus est, ego doleo; ille punctus est et ego ululo. Egrediebantur ex eo aqua et sanguis, quibus ablutus revixit homo et rediit ad paradisum. [8] Sadducaei erant ora mea, et disputabant cum eo ex mente mea, omnino negantes resuscitationem mortuorum. Jesus locutus est iis verbum, quod ego sola intellexi; exclamavit odiosum illud et contristavit me: „Ego sum Deus Abraham, et Deus non est deus mortuorum.“ Bonum mihi erat, quod haec verbis tantum expressit et non opere monstravit mihi resurrectionem mortuorum. [2] Jesus, filius Nun, occidit triginta reges et implevit mihi sepulcra et foveas. Destruxit Jericho et implevit haden. Hic autem Jesus, qui venit, sepulcra mortuis vacua fecit et implevit regiones superiores. Cur, cum similes sint invicem nominibus suis, dissimiles sunt operibus suis? Ille dedit mihi corpus Achan, hic autem eripuit mihi corpus Lazari. [10] Moyses conculcavit Aegyptium illum; lenitati suae immiscuit justitiam. Unde autem provenit nova haec lex: Si quis percusserit te in maxillam tuam, praebe illi et alteram maxillam tuam, et cave te,

ne odio habeas illum? Pro zelatore forti, qui conculcaverat et occiderat, novus misericors exortus est nobis. Samuel fidit Agag, Jesus autem sanavit paralyticum. [11] Misericordia, quae antea quasi minuta erat, hoc nostro tempore magna est. Antea nonnunquam vel exosa erat, ne scilicet hominem ad transgrediendum mandatum induceret. Saul enim et Achab sine misericordia interfecti sunt, quia volebant parcere malis, nec eos morti tradere, qui vindictae rei erant. Meo autem tempore mutavit haec Jesus ita, ut omnes homines vivificet et misereatur interfectoris sui. [12] Memini Samsonis, hujus catuli leonis, qui confregit et dedit mihi columnas Philistaeae. Etiam dux ille exercitus, Abner, filius Ner, cepit mihi capream velocem, Asael, filium Sarujae, percussit eum et projecit in terram. Etiam Banajas in sancto templo juste interfecit Joab, sicut scriptum est. Nunc autem, cum justitia cohibuerit gladium suum, exsultabunt poenitentes ob gratiam. [13] David mensus est Idumaeos funiculis et destruxit eos. Quanto misericordior es tu, o fili David! Justitia enim David duplex erat, cum duos funiculos interficeret et unum tantum vivum relinqueret. Filius David autem docet nos: Dimitte fratri tuo septuagies septies! Illic erat justitia mensurata, hic autem lenitas immensa. [14] Zelum et fortitudinem possidebat David, leonem et lupum simul interfecit. Reliquit leonem fortem et cucurrit contra robustum gigantem, cujus lumen lapide exstinxit, ita ut anima ejus relinqueret eum et periret. Jesus autem juveni mortuo acclamavit: o juvenis! Ipsi enim mortui ei tamquam dormientes sunt. Vivificavit juvenem et eripuit mihi eum; porcos tantum contemptos suffocavit mihi in mari. [15] Levitae interfecerunt propter vitulum patres et fratres suos. Jephte propriis manibus filiam suam mactavit. Rex Moab in muro filium suum primogenitum sacrificavit; per gladium ejus laetificata sum. Per Jesum autem obtusus factus est gladius, et objurgata est febris, soror Hadae. Sanata est socrus Simonis,

---

[13] Cf. 2 Sam. 8, 2. Idumaeos Ephraem lapsu vel calami vel memoriae pro Moabitis posuit.

[14] Peshittha 1 Sam. 17, 35 sqq. habet lupum (ܕܐܒܐ) pro urso.

Haden autem aegrotum fecit fama sanationis ejus. [16] Quamquam
hic Jesus filius justi est, mera gratia per eum praedicatur. Mihi
autem haec gratia ejus cruciatus est. Invidia causa est laetitiae
nostrae; invidia enim olim miscuit mihi primitias sanguinis. Cur
mala videtur filio Mariae, ut veniiat et praecipiat: Ne irascaris
fratri tuo? Abstulit gladium inter fratres, cum ego per gladium
Cain primitus delectata sim. [17] Mel in ossibus invenit Samson;
num fortasse hoc quoque pro typo habendum est. Hic Jesus mul-
tiplicavit nobis typos, incidi in mare typorum, qui mihi paraboli-
zant resurrectionem mortuorum omnimodis figuris et imaginibus.
Samsonis parabola erat: „Exiit esca ab edente". Mihi autem ex
contrario accidit; comedens enim exiit mihi ex esca. Ex Adamo
enim provenit filius Adami, qui me consumpsit. [18] Saepe quidem
etiam justi me depraedati sunt, per quos praedicabatur resusci-
tatio mortuorum. Sed illi magnam consolationem immiscuerunt
doloribus meis. Propter precationes Asae et Ezechiae interfectos
epulata sum et cadavera coenavi. Elias mactavit et dedit mihi
prophetas Beli, qui saginati erant pane Jezabel. Justi me coegerunt
ad devorandum, Jesus autem coegit me ad restituendum omnia, quae
comederam. [19] Timui sanguinem effusum, quod Moyses consperserat
in omnes portas. Quamquam enim erat sanguis agnorum interfecto-
rum, tamen vivos servabat. Nunquam sanguinem pertimui praeter
sanguinem in portis, et praeter illum in cruce. Sanguis interfecto-
rum est mihi delectatio et tamquam odor suavis. Sanguis autem
Jesu est mihi horribilis; cum enim venissem, ut odorarer sanguinem
ejus, horrorem mihi injecit odor vitae occultus in eo. [20] Sacer-
dotes et pontifices, uncti et reges, qui monstraverunt typum re-
suscitationis mortuorum, non vicerunt per cruces suas, sed coronis
et diadematibus induti erant; et, quando cum iis proelia com-
misi, interdum quidem percussa sum, interdum autem ipsa eos
percussi. Hic autem filius fabri lignarii coronâ suâ spinarum hu-
miliavit et projecit humi superbiam meam in ignominia et morta-
litate sua. Vidit eum Hades et perterritus est coram eo. [21] Moy-
sem vidit mare et refugit, timens baculum et gloriam ejus. Splen-
dorem, baculum, potentiam ejus vidit etiam petra illa, quae scisa

est. Hades autem, cujus sepulcra aperta sunt, quid vidit in Jesu? Pro splendore colorem mortuorum induerat et contremiscere fecit Haden. Et si color mortis Jesu interfecit Haden, quomodo hic poterit consistere, quando ille veniet in gloria sua, ut excitet mortuos?

XL. Sextum carmen ejusdem modi.

[1] Sensit diabolus magnam humiliationem suam et se ipsum gloria extulit coram servis suis. Magna fecit verba ad persuadendum et ait: Scientia, quam possideo, ex minima tantum parte a natura mihi indita est, sed universam fere plenitudinem ejus discendo mihi comparavi. Ego mihi ipse magister fui et exercui intelligentiam meam. Sine magistro didici omnia; armavi animam meam omnibus armis et abstuli scientia mea coronam victoriae, quam desideravi, de hominibus. (Responsorium: Laudetur ille, qui venit et abolevit insidias Peccati!) In Pharisaeis involvi odiositatem meam, ut pugnarem cum filio Mariae. Ira tamquam arcus tela pluere fecit, audacia conviciata est eum, immanitas aggressa est eum, calumnia oppressit eum, invidia et zelus iratus pugnaverunt cum eo, et blasphemia lapides elevavit. Medicus intravit, stetit inter aegrotos, sed ego incitavi infirmos, ut pugnarent cum eo. [3] Quia nulli culpationi subjaciebat, confugi ad quaestiones. Multas occasiones provocavi, sed vidi mendacitatem meam reprehendi et impudentiam meam agnosci et verbositatem meam contemni. Tum recepi me ad disputationes litigiosas. Ubicunque vero disputavi cum eo, omnis labor meus tamquam palea factus est, quam vox veritatis in omnes partes dispersit. [4] Vidi, in homine esse athletam et dominum potentem per astutiam suam. [Terret eum serpens externus, sed] Voluntas ejus intus semper

---

XL. Diabolus gloriatur de astutia et prudentia sua, qua in hominibus decipiendis et seducendis utitur, sed conqueritur, eam a Jesu omnino irritam factam esse.

[4] Verba uncis inclusa metrum perturbant, sed salvo sensu vix ejici possunt.

convoluta est et zelus ejus sibilat sicut anguis. Ipse gignit cupiditates mortiferas, sed exhorret febrim. Mandatum, tamquam medicamentum, exstinguere potest derisionem, quae percutit in exitium; charitas autem confringere potest aculeum linguae secretum et acerbum. [5] Quis est stultior homine, qui magis curat domum suam, quam animam suam. Omni die inspicit vasa, quae in cista ejus sunt, sed occulta est tinea in membris ejus. Scissuras vestium suarum assuit, sed facta est scissura in animo ejus. Domus ejus illuminata, sed cor ejus obscuratum est. Occludit sensus suos et aperit fenestras suas. Claudit portam et custodit argentum suum, sed aperit os et surripi sinit thesaurum cogitationis suae. [6] Stultus jumentum suum magis aestimat, quam se ipsum; magis enim sollicitus est de illo, quam de se ipso. Bona semina inserit in terram, in cor autem suum inserit zizania. Animus ejus apertus et abjectus est, sed magnum laborem in circumseptione vinearum collocat. Elegit et plantat plantas, cum animus ejus sit vitis ex vitibus Sodomorum. Cohibet onagrum a segete sua, sed porcus silvae depascitur cogitationes ejus. [7] Ego catinus sum hominibus, et in me probantur cogitationes eorum. Itaque mihi concessum est fraudem nectere. Ego doceo artem Chaldaeorum, et propter veracia, quae interdum occurrunt, etiam mendacia mea creduntur. Aegyptiis oculos clausos tenui et monstravi insecta, et putabant ea adesse, quamquam non aderant. Per occlusionem oculorum doceo signa zodiaci, quae non sunt in coelo. [8] Per velocitatem meam volavi et vidi res, et praeveni indicans eas hariolis; itaque illi, qui per me errant, prophetam me credunt. Nonnunquam autem impudenter rogo, ut mihi ad horam revelentur secreta, et ut explorentur per me veraces, sicut Iob, et fallaces, sicut Saul. Alteri aperui hariolationem suam, et alteri expolivi constantiam suam, ut inde magis illustraretur.

---

[5]—[6] Similem sententiam vide in opp. II 319. 335.

[8] Eodem modo praedictiones oraculorum explicat S. Augustinus in libro de divinatione daemonum.

XLI. Septimum carmen ejusdem modi.

[1] Diabolus ait: Timeo Jesum, ne perdat artes meas. Ecce enim millia annorum natus sum, et nunquam erat mihi otium. Nunquam vidi aliquid firmum, a quo me avertissem et quod inexpugnatum reliquissem. Nunc autem est mihi tristitia, quia venit ille, qui impuros castos facit, et qui destruit omnia, quae aedificavi; multum enim laboravi et docui, ut obtegerem totum mundum omnibus malis. (Responsorium: Laudetur ille, qui detexit insidias callidi!) [2] Comparavi cursum meum cum velocibus et eos cursu superavi. Cum pugnarem, tumultus multorum erat mihi pro armis. Laetabar de tumultu populi, quia mihi facilem opportunitatem praebet; durus enim est impetus multorum. Per robur multorum magnum montem elevavi, turrim usque ad coelum extendi. Si ergo cum coelo pugnaverunt, quanto magis vincent eum, qui in terra pugnat? [3] Secundum tempus et auxilium ejus vario modo pugno. Audiverat quondam populus, unum Deum esse, et fecit sibi multos deos. Cum autem videret filium Dei, cucurrit ad unicum Deum, ut Deum negaret sub specie confitendi eum et fugeret ab eo sub specie zelandi pro eo, ut perversi omnibus temporibus sine Deo invenirentur. [4] Ecce innumerabiles annos natus sum et nunquam contempsi infantem. Valde sollicitus sum de pueris, ut eos ab initio pravis moribus imbuam, et ut maculae eorum cum ipsis crescant. Sunt autem stulti parentes, qui non repugnant semini, quod insevi in filios eorum; sunt et alii, qui tamquam boni agricolae eradicant maculas ex animis infantum suorum. [5] Pigritiâ tamquam vinculo vinxi homines, ut sedeant otiosi. Abstraxi sensus eorum ab omnibus bonis, oculos eorum a lectione, ora eorum a psalmodia, animos eorum a doctrina. Quantopere student fabulis

---

XLI. Salvatore in cruce pendente, diabolus astutiam et patientiam suam praedicat, sed valde timet, se a Jesu superatum iri, quanquam daemones eum consolari student. Mox, Domino in haden ingresso, mortui vivificantur et diabolus cum Morte magno terrore percutitur.

[3] Eadem sententia invenitur etiam in ed. rom. II 519.

destruentibus et inutilibus, et excellunt vaniloquio! Si autem incidit in eos verbum vitae, aut repellunt illud aut surgunt et abeunt ab eo. [6] Quot diaboli in homine sunt, et mihi soli omnes maledicunt! Ecce enim furor hominis est daemon, qui omni die vexat eum. Diaboli similes sunt viatoribus; compulsi enim abeunt. Ira autem non eradicatur ex loco suo, etiam si omnes justi adjurent eum. Tamen omnes pro ira vere perniciosa oderunt daemonem contemptum et debilem. [7] Pudefit incantator et magus, qui omni die angues domat. Echidna enim, quae intus in ipso est, ei resistit, cum cupiditatem in interno suo refrenare non possit. Si peccatum occultum, tamquam aspis, in eum spirat, conflagratur. Quamquam echidnam cepit astutiâ suâ, percutit eum secreto error. Serpentes sedat incantationibus suis, sed iram divinam excitat magnam super se incantationibus suis. [8] Aculeos posui et consedi et exspectavi. Quis praeter me tam patienti animo apud omnes exspectat? Consedi apud patientem, et gradatim incantavi eum, ut veniret ad taedium animae. Illum, qui erubescebat peccata, consuetudines subjugabant; paullatim eum mihi subjeci, donec sub jugo erat, quod suscepit et assuevit, et ne desideravit quidem liberari ab eo. [9] Sensi et perspexi, patientem omnes subjugare posse. Itaque cum Adam solus esset eo tempore, quo a me victus erat, reliqui eum, donec filios procrearet, et quaesivi mihi aliud opus, quia otium non diligo. Arenam maris numeravi, ut me hoc modo patientiae assuefacerem, et ut memoriam meam tentarem, num sufficeret hominibus, quando multiplicati forent. Antequam multiplicati sunt, ego jam eos exploravi per innumerabilem arenam. [10] Disputaverunt servi Diaboli cum eo et dissolverunt verba ejus hac disceptatione: Ecce Elisaeus excitavit mortuum; sed ipse ille, qui vicit Mortem in coenaculo, et vivificavit filium viduae, ecce nunc subjectus est in hade. Cum autem consideratio Diaboli valde major esset, dissolvit verba eorum suis ipsorum verbis: Quomodo victus est Elisaeus? Ecce in hade vivificavit mortuum ossibus suis. [11] Si potentia Elisaei, qui tamen minor est, tam magna

[10] Cf. 2 Regg. 13, 21.

erat in Hade, ut in eo unum mortuum vivificaret, quanto plures mortuos vivificabit in eo mors Jesu fortissimi. Ex hac re intelligite, quanto major Jesus est nobis, socii mei! Ecce enim astutiis suis decepit vos, et non sufficienter determinastis magnitudinem ejus, quando comparastis eum prophetis. [12] Nimis exiguae sunt consolationes vestrae, inquit diabolus collegis suis. Quomodo enim Mors sufficere potest ei, qui mortuum Lazarum vivificavit. Si autem Mors vicit eum, ipse subjectus esse voluit. Si igitur ipse subjectus esse voluit, tum adhuc magis timete vobis, cum certe non frustra mortuus sit. Magnum terrorem injecit nobis, quamquam enim mortuus est, intravit, ut Adamum vivificaret. [13] Mors prospexit e fovea sua et mirata est, cum videret Dominum nostrum crucifixum, et ait: Ubinam es, o resuscitator mortuorum? Tu mihi nunc eris esca pro Lazaro dulci, cujus dulcedo adhuc est in ore meo. Filia Jairi veniet et videbit hanc crucem tuam. Filius viduae intuebitur in te. Lignum cepit mihi Adamum; benedicta sit haec crux, quae cepit mihi filium David! [14] Os suum aperuit Mors et ait: Nonne audisti, o fili Mariae, Moysem, qui major et excelsior erat omnibus, Deum fuisse et divina peregisse? Interfecit primogenitos et salvavit primogenitos; cohibuit internecionem a vivis. Tamen ego cum Moyse in montem ascendi, et ille, cujus majestas laudetur, dedit mihi eum ex manu in manum. Quantumvis enim magnificetur homo, tamen pulvis est et in pulverem redit, quia e terra est. [15] Venit diabolus cum servis suis, ut videret Dominum projectum in haden, et ut gauderet cum Morte, socia sua. Sed vidit hanc contristatam et dolentem de mortuis, qui per vocem unigeniti revixerunt et egressi sunt ex hade. Surrexit Malus, ut consolaretur Mortem, cognatam suam: Non interfecisti, quemadmodum potuisti. Quamquam Jesus in te est, venient tamen ad te et ii, qui resuscitati sunt et ii, qui resuscitabuntur. [16] Aperi nobis, ut videamus eum et irrideamus ei. Cantemus et loquamur: Ubi est potentia tua? Ecce enim jam per

---

[14] Spectat ad nomina „Deus Aaronis" et „Deus Pharaonis", quibus Moyses insignitur Exod. 4, 16; 7, 1.

tres dies in morte remanet; et loquamur ei: O triduane, qui Lazarum quatriduanum vivificasti, vivifica te ipsum! Aperuit Mors portas hadae, et resplenduit ex eo splendor faciei Domini nostri; et percussi sunt illi caecitate, sicut Sodomitae, palpaverunt et quaesiverunt portam hadae, quae iis e memoria elapsa erat.

XLII. Octavum carmen ejusdem modi.

[1] Ululavit diabolus: Quem in locum nunc fugere possum justos? Mortem incitavi ad apostolos interficiendos, ut per mortem eorum evadam verberibus eorum. Sed nunc multo durius verberor. Apostolus, quem interfeci in India, praevenit mihi Edessam. Hic et illic totus est; illuc profectus sum, et erat illic; hic et illic inveni eum et contristatus sum. (Responsorium: Laudetur potentia, quae habitat in ossibus sanctis!) [2] Ossa portaverat mercator ille, vel potius illa portaverunt eum. Ecce enim

---

XLII. Lamentatur diabolus de damnis, quibus per reliquias S. Thomae Edessae asservatas afficitur.

[1] Confirmatur hoc carmine 1) S. Thomam apostolum Indis evangelium praedicasse, quod testantur etiam Ambrosius (in ps. 45), Paulinus Nolanus (carm. 26), Hieronymus (ep. 148 ad Marcellam), Gregorius Nazianzenus (orat. 21); 2) eum ibidem martyrio coronatum esse, qua de re apud scriptores vetustiores nullum invenitur testimonium, immo negatur ab Heracleone haeretico apud Clementem Alexandrinum (strom. lib. 4, p. 502); testes autem sunt Gregorius Turonensis, Gaudentius Brixiensis, S. Nilus, S. Asterius, fortasse etiam Theodoretus (qui gr. aff. cur. lib. 8, p. 607 Thomam aliquem inter celeberrimos martyres numerat); 3) reliquias ejus Edessae asservatas esse, quod asserunt etiam Rufinus (hist. eccl. 2, 5), Socrates (4, 18), Sozomenus (6, 18), auctor vitae syriacae S. Ephraemi (B. O. I, p. 49) et chronici Edesseni ad ann. 705 et 753 aerae graecae. Apparet tamen ex hac et quarta stropha, non totum S. Thomae corpus Edessam translatum esse, sed partem tantum, alia parte Indis relicta, quae adhuc Goae asservatur. Confirmatur ergo hoc carmine opinio Baronii, qui recte jam observavit, et Edessae et in India partem harum reliquiarum asservatam esse, refelluntur autem Pagius, Tillemont, Assemanus, qui Indicas S. Thomae reliquias pro commento Nestorianorum habent.

[2] Docet nos S. Ephraem, haec ossa per mercatorem ex India Edessam asportata esse. De hac translatione cf. etiam Gregorium Turonensem (de gloria martyrum c. 32) et Martyrologia ad 3. Julii aut ad 21. Decembris. De tempore, quo Edessa tantum thesaurum accepit, nihil apud antiquos legitur;

ab invicem lucrati sunt. Mihi autem quid profuerunt, cum sibi invicem profuerint? Ambo mihi damnum intulerunt. Quis monstrabit mihi capsam Iscariothis, ex qua fortitudinem accepi? Capsa autem Thomae interfecit me, quia virtus occulta, habitans in ea, excruciat me. [3] Moyses electus portaverat ossa in fide tamquam lucrum. Si ergo magnus hic propheta credidit, auxilium inesse in ossibus, recte etiam credidit mercator et recte se nominavit mercatorem. Hic mercator lucratus est et magnus factus est et regnavit. Aerarium ejus valde me depauperavit; Edessae enim apertum est et ditavit magnam urbem auxilio suo. [4] Obstupui de hoc aerario thesaurorum; antea enim exiguus erat thesaurus ejus, et, quamquam nemo aliquid abstulerat ab eo, tamen parcus erat fons divitiarum ejus. Postquam autem multi circumdederunt et diripuerunt illud et rapuerunt utilitates ejus, quo magis diripitur, eo abundantius multiplicantur divitiae ejus. Quando enim quaeritur fons occlusus, valde scinditur, et tum demum late fluere et effundi potest. [5] Apertum est, quod etiam Elisaeus fons erat in populo sitiente, sed quia sitientes non quaerebant eum, non magnum erat effluvium ejus. Cum autem Naaman quaesiisset eum, abundavit et effudit sanationem. Fons tulit eum et misit eum in fontem, cum in flumine leprosum purgaret. Jesus autem, mare auxiliorum, misit in Siloë caecum, cui oculos aperuit. [6] Giesi baculo, quo Elisaeus mortuos resuscitavit, non potuit resuscitare puerum. Et quomodo per pythonem ascendere potuisset sanctus Samuel? Nos enim illusimus Saul, ut pro uno daemone, quem interrogaverat, duo daemones ascenderent eumque deriderent. Ex ossibus Elisaei et Samuelis disce, posse quidem ossa mortuum vivificare, sed non posse incantatorem mortuum ossa viva et sancta efferre. [7] Et quamquam petivi hanc petitionem, non concedit mihi

---

Baronius autem ad a. 236 ait, incertam esse famam, hoc anno translationem accidisse. Fontem suum non indicat, nec eum hucusque invenire potui.

[7] Sensus est: Saepe a Deo petivi, ut mihi potestatem super ossa sanctorum tribueret, sed frustra. Itaque peccatorum ossa sanctorum esse praetendebam, eaque mihi timorem injicere simulabam, ut hoc modo homines tutius in mea servitute retinerem. Duplici enim modo homines seducere possum,

eam dator omnium. Si enim timore commovebantur aliquando daemones per ossa viri sacrificuli aut magi aut incantatoris aut chaldaei aut harioli, ego quoque bene sciebam, hoc per ludibrium factum esse. Duobus enim modis homines errare facio, cum aut apostolos decipiam, aut meos apostolos apostolis assimilem.
[8] Ecce partes daemonum evacuatae sunt, partes diabolorum verberantur; quamquam nemo adest, qui visibiliter baculum elevet, tamen daemones clamant ob dolores; quamquam nemo eos alligat et vincit, tamen mali spiritus pendent et vincti sunt. Hoc tranquillum judicium, quod quietum et tacitum est et ne per interrogationes quidem operatur, est unica potentia, quae omnibus sufficit; ecce habitat in ossibus alterius Elisaei.
[9] Judicium dedit duodecim discipulis suis, ut judicent duodecim tribus. Si ergo apostoli filios magni Abraham judicaturi sunt, nihil magnum erit, quod daemones judicent. Et crucifixores, nisi solvi facient judicium futurum, in nostro judicio explorabuntur. Pejus enim quam nosmet ipsi clamabant coram apostolis, judicibus gentium.
[10] Lupus enim erat apostolus Saulus, et educavi eum sanguine agnorum, et robustus factus est lupus singularis. Repente autem prope Damascum lupus in agnum mutatus est. Hic dixit, fore ut apostoli angelos judicarent. Angelorum enim nomine intellexit sacerdotes, secundum quod scriptum est. Si ergo tam potentes sunt, vae daemonibus propter verbera ossium eorum!

XLIII. Ad modum: Consolamini promissione.

[1] Murus erat Joseph sibi ipsi in pace; Moyses portavit ossa ejus, ut fierent castris suis murus in deserto. Vidit enim popu-

---

aut bonos fallendo, aut malos bonis similes faciendo. Prius autem in sanctos defunctos, qui deceptioni jam non obnoxii sunt, exercere non potui, itaque posterius mihi eligendum erat.

XLIII. Resurrectionem mortuorum probat primum inde, quod per ossa sanctorum fidelibus multifaria bona donantur, tum ex omnipotentia Dei, ex analogia somni et defaecationis metallorum, deinde quod corpus a Deo plasmatum et ab ejus filio indutum est, denique ex analogia uteri et exemplo Eliae.

lum per idola sua creatori suo mortuum esse; itaque portavit ossa mortua, ut fierent pro vivis turibulum expiationis et intercessio reconciliationis. (Responsorium: Non mercede fraudetur corpus justorum, qui crediderunt in te!). [2] Joseph in thalamo vidit eum, qui videt omnia; in loco, ubi homines se a nemine videri putant, injecit juventuti suae frena castitatis. Moyses portabat ossa ejus, ut secreto condemnarent populum, quem aperte honestabant filiae Madian. Ossibus sancti accusavit fornicatores. [3] Moyses reliquit vivos et cucurrit ad mortuos. Operatores erant ei et restaurabant scissuras populi. Vinea erat, cujus sepes scidit conculcatores. Ille autem botrus benedictus roboratus est inter vites ejus, abstulit et eduxit benedictionem e labruscis inter omnes populos. [4] Ossa Elisaei spem seminaverunt in hade. Potentia occulta in ossibus consolata est mortuos. Mors vidit mortuum, sese commoventem, et exhorruit. Quis unquam vidit tam mirabilem aspectum, quod mortuus ex ore Mortis cadaver eripuit et vivificavit, et quod sepultus sepultores suos domum comitatus est. [5] Hades palpavit thesaurum suum, repositorium omnium corporum; portas et obices ejus consolidavit et confidit; nunquam enim viderat os, quod se moveret. Sed vox Ezechielis eum obstupescere fecit; ossa se moverunt et alterum alterum quaesivit, ut ei infigeretur. Per compositionem eorum defecit hades et solutus est. [6] Prae sono ossium fugit Mors in foveas suas ibique se abscondidit; aegrotavit, venit ad mortuos, et putavit se consumptam esse. Vocavit cum desiderio Haden, eumque desperationis suae haeredem instituit. Testamentum elaboravit in titubatione sua, testata est, se esse caducam, et scripsit, se esse pauperem, cum reddere deberet depositum commodatori suo. [7] Mortui auxilium tulerunt vivis, sepulti sepultoribus, jacentes ambulantibus, tacentes loquentibus. David in sepulchro suo Ezechiae urbem servavit, et ossa persuaserunt Josiae, ne senem illum attingeret. Propter ossa pepercit quoque ossibus illius, qui decepit, interfecit, sepelivit, sed postea credidit,

---

[1] Sub botro benedicto Dominus Jesus Christus intelligendus est.

[2] Cf. 1 Regg. 13; 2 Regg. 23, 16—18.

ad prophetam confugit et evasit. [8] Si ergo hic senex seduxit innocentem, et credidit, quamquam et ipse interfectus a mandato deflexerat, et servatus est per eum, mirum est illum, quamquam occiderat eum, credidisse et in ejus protectionem refugisse. Quis vidit rem tam stupendam in hade, quod occisus occisorem suum in sepulcro incolumem servavit? Quanto magis autem salvabunt fratres meos ii, qui propter Christum occisi sunt? [9] Rursus imposuit Elisaeus manus suas infirmas manibus validis regis, qui descenderat, ut eum visitaret, unde manus regis fortitudinem acceperunt et telum salvationis emiserunt, ut admiraretur, quomodo aegritudo sanctorum magistrorum facta sit fons sanationis corpori eorum, qui eos visitabant. Dignare me visitatione eorum, o tu, qui curas eos, qui te curant! [10] Infirmitas ergo eorum dat regibus fortitudinem. Tria nomina adjuverunt sexcenta millia. Per ea occludatur os diaboli, hostis mei! Intercessores enim mei boni sunt et audaces, diserti et multi, et possunt in judicio placare judicem et salvare debitorem. [11] Admiremur eos, fratres mei, nam silentium est arma eorum. Silentio persuadent ei, qui silentes exaudit. Silentium discretum precatio est ei, qui omnia scit. Exiguo pretio emuntur intercessores mei et valde molestantur; fletu corrumpuntur a me, lacrimis emuntur a me, quas effudi super sepulcra eorum. [12] Curramus ad sepulcra eorum, ut salvemur per mortem eorum. Ossa enim Elisaei testimonium praebent ossibus eorum, cum vitam dederint, quae inerat in iis. Mors timuit et didicit et honorare coepit in hade ossa justorum, ut reprehenderet impios, qui nolunt agnoscere resurrectionem, quam ipse Hades praesentit. [13] Nihil enim omnino vivificatori omnium mortuum est, praeter illam tantum mortem, de qua juravit et dixit, se non delectari morte peccatoris unquam. Quamquam enim omnia facilia sunt Domino omnium, tamen difficile ei est in vitam reducere mortem liberi arbitrii, quia mors peccati e spontanea voluntate orta est. [14] Ipsa enim etiam corpus, vas vitae suae, interfecerat in initio in paradiso, cum solvisset per dominationem suam sepem

---

[9] Cf. 2 Regg. 13, 14—19.

legis. Justus enim Deus noluit vi domare et opprimere hanc dominatricem, quae destruxit voluntatem suam et mortua est per voluntatem suam. [15] Valde gratus est somnus defatigato, et mors dilecta est jejunatori et vigilanti. Somnus naturalis non interficit dormientes, nec Hades interfecit aut interficit. Somnus suavis est, et ipse Hades quietus est, si comparatur cum altera morte, cui nullo modo effugi potest. [16] Nunquam somnus in lectis avare retinere studuit eum, qui dormitat et dormit; mox enim rursus expergiscitur. Sed nec Hades avarus fuit aut est, fratres mei. Ecce somnus haden transientem esse demonstrat; mane enim excitat dormientes et vox Domini resuscitat mortuos. Mors vera autem est mors libertatis, quae manibus suis omnem spem abscidit. [17] Ecce Deus, quando difficile est justitiae suae, praestat per gratiam suam, quamquam facile est voluntati nostrae, ut nos animum salvemus et ipse corpus resuscitet. Etiamsi comederint illud vermes et bestiae, revertentur in terram manducata et manducatores, et secernetur, tamquam in catino, pulvis eorum in resurrectione. [18] Si enim hoc bonum videtur fabro, ut laboret et educat aurum in terra occultum, secernat et excipiat illud ex ea in catino, quanto magis purificabit creator corpus in resurrectione? In catino suo totum corpus segregabit, cum rejiciat et abjiciat pulverem bestiarum. [19] Ecce enim in mente ipsius creatoris nostri pulvis hominum segregatus est et signatus. Segregavit enim et sumpsit pulverem Adami, et finxit eum. Hoc modo segregatus et signatus est in mente ejus pulvis generis humani, et hunc solum resuscitabit. Videte initium, quod testatur finem! [20] Aes corruptibile secernitur in pulvere suo, et antequam defaecatur, inspicitur a fabro, et si rursus incidit in terram suam, denuo in ea fulget. Quanto magis ergo omnisciens segregabit omnia, omnem pulverem ad genus suum? Ex omnibus autem maxime aestimabit pulverem hominis, quia vestis est dilecti filii sui. [21] Corpore indutus erat primogenitus, utebatur illo pro velo gloriae suae. Immortalis sponsus in hac veste splenduit. Vestes invitatorum similes sint illi vesti ejus. Splendeant corpora, vestes vestrae! Vinciebatur enim vir ille, cujus corpus inquinatum erat. Vide in convivio tuo maculas

meas in lumine tuo! [22] Videte autem, quot sinus corpus perrumpit et relinquit, uterum in nativitate sua, sepulcrum in resurrectione sua. Vicit foveam bestiarum et fornacem; piscis, qui deglutiverat, illud reddere debuit. Ambulavit in mari et volavit in aëre, et consedit ad dexteram Dei, gloriâ coronatum. [23] Quid illud corpus vincire, quid ligare posset? Quis esset sinus, qui id retinere posset? Si enim ne utero quidem pepercit, qui id genuit, sed cum doloribus eum scindit, egreditur et relinquit, ita ut uterus desertus sit ab eo, quia nunquam reversum rursus eum intrat, quanto magis haden desolabit egressus et resurrectio ejus. [23] Fideles docet ascensio Eliae, una ascendisse in curru utrumque, corpus et animam, ad illam habitationem superiorem; et quod non reliquerit et dejecerit corpus suum in loco,. testantur viri, qui egressi quaesiverunt eum, quia non invenerunt illud. Totus enim ascendit cum corpore, qui sanctus fuerat in corpore. [25] Et rursus docet amiculum Eliae, adscititia et corruptibilia ab eo segregata et relicta essè. Vestis enim temporaria redarguta est, recessit et humi projecta est, ut probaretur, corpus abreptum veram vestem esse, quae adhaeret induentibus eam. Amiculum recessit et decidit, corpus autem evolavit et ascendit. [26] Etiam Jordanus refrenavit fluxum suum; aquae se ipsae coercuerunt et invicem retinuerunt fluxus suos. Reliquit fluxum solutum suum naturalem, et praeter naturam retrorsum fluxit, ut probaret, quemadmodum ipse infixus maneret et ascenderet ex mandato, ita etiam corpus in triumpho ad coelum evolasse et ascendisse. [27] Si autem nimis difficile esset, ut resurgèret corpus obsoletum Noe, non minus quoque difficile esset, ut corpus Henoch omnino non dissolveretur. Docuit enim nos Deus, mortuos sibi vivos esse similiter ac Henoch. Per Moysem et Eliam, qui visi sunt, arguit perfidos, et sepultos vivos esse et eos, qui avolaverunt, superesse. Dignare me adventu tuo!

XLIV. Alterum carmen ejusdem modi.

[1] Bonus Deus ipse finxit corpus, ut doceret haereticos, quam magnum esset opus manuum suarum, et quam stabile in aeternum. Justus ipse inspiravit animam, ut doceret, quanto major esset, quam anima bestiarum, quam non inspiravit. Ea enim anima, quae non inspirata est, os habet silens et mutum; ea autem, quam os divinum inspiravit, habet etiam os loquens. (Responsorium: Anima et corpus, Domine, gaudeant in resuscitatione tua!). [2] Compara hominem cum bestiis in lancibus intelligentiae, et perspice in animo tuo, quod, quemadmodum bestia est pars corruptionis et tota omnimodo caduca, ita natura humana thesaurus est reservatus et tota in resurrectione pars vitae! [3] Inspice rursus compositionem animalium, et vide, eam in nullo perfectam esse. Totum animal in hoc adaequatum est, quod totum sine spe est. Ideo redarguuntur haeretici, qui bipartiunt naturam hominis, quamquam aequalis est, et alterum dimidium bonae spei, alterum desperatum esse fingunt. [4] Testatur remunerationem nostram jumentum, eo quod remuneratione fraudatur; labor enim ejus est sine spe et cursus ejus sine mercede et passio ejus sine promissione et totum animal sine resurrectione, unde homo discat, ut confidat, duo illa sub uno jugo posita, corpus scilicet et animam, pro cursu suo coronatum iri, pro labore suo promissionem consecutura esse et pro passione sua triumphatura esse. [5] Ecce autem duae res, quas mox enumerabo, propositae sunt debili, quibus persuadeatur, animalium cursum mercede non remunerari, et quibus persuadeatur, mercedem promissam esse homini, et quibus persuadeatur, creatorem nostrum non esse injustum, cum promiserit homini paradisum et gehennam, et multiplicaverit animalibus quietem sine peccatis. [6] Observa rursus bestias non affligi nec Deo aliquid mutuum dare, ita ut etiam nequeant dicere se remuneratione

---

XLIV. Ex comparatione hominis cum animalibus ostendit, justitiam divinam resurrectionem corporis flagitare.

fraudari. Corpus autem affligitur, cum mutuum det jejunium suum justitiae, ideoque fraudaretur, si non esset resurrectio, et silentium ejus magis quam sanguis Abel reclamaret depositum suum in terra coram remuneratore omnium. [7] Occide animal et disce, neminem te pro eo interficere, quia anima illius perit cum ipsius corpore et nihil omnino in eo inest, quod ad resurrectionem perveniat. Hoc verbum omnem altercationem solvit, quod, quemadmodum animalium animae eandem sortem habent, ac corpora eorum, ita etiam corpus nostrum reviviscet, sicut anima nostra. [8] Scriptura docet prudentes, natura perfidos, caduca ad tempus tantum servari, eum autem, qui non caducus est, in aeternum servari, et illum, qui talem occiderit, rursus occidi. Ipsa porro dissolutio ejus demonstrat, conjunctionem ejus in aeternum destinatam esse, quia omnino ab omnibus maledicitur serpenti, quae decepit et dissolvit eum. [9] Ecce enim aves et pisces et bestiae cum benedictione mactantur et rursus cum ea comeduntur. Cum ea metitur seges, cum ea carpitur fructus, et minime maledictus est mactans aut carpens. Si ergo corpus hominis corruptioni destinatum esset, quomodo maledicti esse possent serpens et occisor. [10] Seges, quae deficit et decidit, fructus, qui corrumpitur et insipidus fit, accusant agricolam, quod tardaverit et non decerpserit, nec eduxerit et segregaverit semen ex stramento. Ergo secundum verba haereticorum etiam ille vituperandus esset, qui non interficeret senem, cujus intellectus insipidus factus est, ut solveret animam a gravi vinculo ejus. [11] Ideo enim relinquuntur senes inutiles, ut doceat per eos Bonus mendaces veritatem. Quamquam enim gladius senem magna quiete affecturus esset, tamen, si juvenis stringeret gladium, adversus ipsum stringeretur. Occidit juventutem, quae occiderat senectutem, ut doceat, quam dilectum sit corpus plasmatori suo. [12] Omnes exspectant mortem senis, quem unanimiter testantur onus molestissimum esse, attamen nemo audet interficere eum. Quamquam valde optatur mors ejus, tamen valde timetur occisio ejus. Unde discere possumus, quam honestatum sit corpus in ipsa humiliatione sua, et quanto magis honorabitur, cum sit in paradiso, et quanta erit gloria ejus post resurrectionem.

XLV. Tertium carmen ejusdem modi.

[1] Si anima ederet et jejunaret et inde remunerationem acciperet, vel tum oporteret, ut etiam corpus, qui cum ea jejunavit, remunerationem acciperet. Si autem manifestum est, corpus edere et jejunare, redarguuntur haeretici, ingensque eorum error demonstratur, qua docent, animam, quae non jejunavit, praemium accepturam esse, et corpus, quod jejunavit et laboravit, praemio fraudatum iri. (Responsorium: Inveniat per resuscitationem tuam corpus sociam suam!) [2] Revera, etiam ipsa anima affligitur jejuniis et afflictionibus corporis; si autem anima commoda accipit ex passionibus, quas a corpore mutuas sumpsit, quanto magis ipsum salvabitur per castigationes membrorum suorum? Hoc enim non sine sacrilegio audiri potest, animam magnificari per odorem virtutum corporis, et non multo magis ipsum corpus glorificari per praemium studii sui. [3] Odiosum esset, hoc laborare et illam praemium auferre; odiosum esset, huic ignem et illi celebrationem destinata esse; stultum esset, huic gladium, illi autem coronam vitae deberi, et hoc, si interficitur propter creatorem suum, hic vitam suam et illic resurrectionem suam perdere. O quam perversa est tota doctrina haereticorum! [4] Corporis enim est jejunium, vigiliae, sitis, quas merces sine ipso anima acquirere non possit. Fraudaret igitur mercatorem capite et usuris; ecce enim anima dives fit per lucrum talentorum corporis, et tamen stulti illi pro lucris ejus scribunt corpori chirographum debitorum, fraudantes id resurrectione. [5] Injustum esset, hoc famem tolerare et illam gloriari de jejunio ejus; injustum esset, hoc sitire et illam exaltari ob sitim ejuo, illam mercedem pro operibus corporis acci-

---

XLV. Ostendit contra Manichaeos, quam injusta et absurda sit negatio resurrectionis.

[5] Sub iis, qui docebant, corpus per ignem absumptum iri, Manetis potissimum discipuli intelligendi sunt, qui universam materiam in fine combustum et in scorias redactum iri contendebant. Hoc enim carmen specialiter contra Manichaeos directum esse, e versu undecimo apparet.

pere et hoc ab illa dimitti et relinqui. Et illi, qui dicunt corpus igne secerni, fraudant agricolam, quia auferunt omnes segetes ejus et relinquunt ei nihil praeter paleam et stramentum, quo comburatur. [6] Justum est, hoc assequi gloriam et illam quoque honorem; justum est, hoc in vivis et illam quoque in vita manere; justum est, hoc in Eden et illam quoque in paradisum venire. Sacrilegum enim est, quod dicunt, dimidium hominis victurum esse in regno coelorum, et alterum dimidium sine peccato dejici ad cruciatum. [7] Caeci sunt filii erroris, ut videre nequeant pugnam; victoriam enim sub nomine animae praedicant, et ignominiam nomini corporis affigunt. Ne mundanis quidem spectatoribus aequitate similes sunt, qui praedicant modo aurigam, modo equos, qui triumphaverunt. [8] Si revera anima a puris pulchrisque substantiis deducitur, corpus autem exosum est, et ornari studet, tum, si odio dignum est, maledictum est, et dupliciter maledictum, si pulchrum est. Quamquam enim ipsum toleraret ictum cupiditatis, tamen animae esset virginitas et praemium castitatis; illa veniret et extolleret vocem suam in hora undecima. [9] Quamquam autem animae est cupiditas et voracitas, tamen corpus ab ea accusatur, quod immergatur in turpitudines ejus. Si ipsa est turbulenta, libidinosa, obscoena, cur vituperatur corpus ob cupiditatem illius? Joseph accusatus siluit, sed vox dominae suae incitata erat; Naboth assecutus est lapidum acervum et Jezabel vineam. [10] Et quomodo ullo modo corpus purgari posset, si inquinatum esset faece substantiae suae, et quomodo turbari posset pura natura animae? Corpus enim eam turbare nequit, quia nec lumen turbatur a tenebris, sed e contra, quando oritur, tenebras

[8] Haec quoque doctrina Manichaeorum potius esse videtur, quam Bardesanis, quamquam S. Ephraem hunc quoque animas a substantiis, quas ܐܝ̈ܬܝܐ vocat, deduxisse contendit (cf. ed. rom. II 553 F. 555 E.). Quod num revera Bardesanes docuerit, dubium est (Merx, Bardesanes von Edessa, pag. 75). Ephraemi autem hac in re patrocinium suscepit Hilgenfeld (Bardesanes, der letzte Gnostiker, p. 62). Ad Marcionem spectare non potest, quippe qui totum hominem a Demiurgo creatum esse credidit. Manichaei vero animam ex substantia luminis, corpus ex hyle daemoniaca orta putabant.

absterget. [11] Stulti perversi perversam narrationem protulerunt; dicunt enim, tenebras aliquando ausas esse lucem perturbare. Sed facillime redarguuntur ex ipsis, quos proferunt, testibus. Duo enim luminaria nobiscum migrantia semper videmus, sed nunquam immergitur lumen eorum in tenebris, sed econtra demergit nigredinem in ortu suo. [12] Unum autem ex duobus sequentibus eligere debent filii erroris. Si corpus omnino purificari et expurgari nequit, tum etiam anima, habitans in eo, demersa est in coenum illius et frustra laborat, ut abstergeatur. Si autem corpus secundum naturam suam purificari potest, diabolus perturbavit eos, ut negent resurrectionem ejus. [13] Interrogemus perfidos, quisnam corpori vitae auctor fuerit, illudque antea vitae expers in exsistentiam vocaverit. Corpus utique per Deum, vitae suae auctorem, vivere potest. Si ergo Deus corpus primitus vita donavit, quanto magis resuscitabit illud, cui semel gustum vitae dederat? Pudefiant per difficilia ii, qui negant facilia! [14] Ille, qui vivificavit corpus ad paucum tempus, nonne poterit etiam vivificare illud in longum tempus? Et qui evocavit illud quasi e sepulcro, nonne rursus evocare studebit? Et si laetatur de creatione ejus, quanto magis de resurrectione ejus? Si illud antea sponte in vitam vocavit, quanto magis resuscitabit illud Justus, ut ei retribuat? Redarguuntur per gratiam ii, qui negant justitiam. [15] Si autem corpus ex ipsa natura sua non potest ad resurrectionem pervenire, hoc antea interrogemus, quomodo tum fieri possit, ut vivat per animam. Illa enim voluntas, quae ei vitam praestat, quomodo vitam ei praestare posset, si corpus omnino vitae non capax esset? Ii ergo, qui negant resurrectionem ejus, refelluntur per ipsum factum vitae ejus. [16] Latro quoque ille, qui thesauros tuos expertus est, vicit silentium tuum, quod omnia vincit, et dives factus est in

---

[11] Hic versus ad solam Manetis doctrinam pertinere potest, secundum quam tenebrae lucem aggressae sint seque cum ea permiscuerint, ex qua permixtione mundus creatus sit.

[13]—[14] Redarguit negatores resurrectionis per ipsum factum creationis corporis.

dextera parte, quia reprehendit sinistram partem. Mei quoque peccatoris miserere, Domine, quia credidi et reprehendi perfidos, qui positi sunt in parte sinistra. Hoc sit praemium verborum meorum, ut non revindices a me delicta mea!

XLVI. Quartum carmen ejusdem modi.

[1] Doceant filii erroris, quomodo immundum esse possit corpus salvatori nostro, qui ipse descendit et habitavit in Maria, et hodiedum habitat in corporibus castorum et castarum. Si rex habitat in loco, eum liberum et praeclarum reddit; num ergo Deus, qui habitavit in corpore, hoc fortasse ei promiserit, ut resurrectione careret? (Responsorium: Non remuneratione fraudabitur corpus sepultum, quod in te credidit). [2] Cum altissimus se humiliasset usque ad corpus, et lavisset pedes ejus et calces, ut honoraretur, demonstravit nobis, quanto magis caput glorificaturus sit in resurrectione. Sustulit et gestavit corpus in infantibus, assumpsit illud in pectus suum et amplexatus est in Joanne. Haec sufficiunt ad confutationem Bardesanis. [3] Drachma, quae similis est mortuo in imaginibus suis, et quae conflata est ex terra et rursus in eam incidit et amittitur, exacte resurrectionem repraesentat, quia similis est corpori terreno. Decet ergo, ut, sicut in parabola, etiam de corpore, quando rursus invenitur, laetetur gratia, quae valde laboravit et tandem invenit illud, quemadmodum mulier drachmam. [4] Minam et quadrantem viduae praedicavit; ipse erat ei spectator, testis, vades, et demonstravit, thesaurum accepisse collectam ejus. Disce ex quadrante, quem remuneratus est, Deum non posse remuneratione fraudare corpus, quod lucratum est talentum lucri per gladium persecutorum. [5] Imaginem insensibilem, monetam sine motu, staterem applicuit in os piscis ad glorificationem suam. Quanto magis ergo glorificatur per imaginem suam loquentem? In fine mandabit devoratori ejus, ut reddat, sicut staterem, imaginem illam, quae exacte pictori suo similis est.

XLVI. Contra Bardesanem varios typos et symbola resurrectionis profert.

[6] Bonum illum oras, qui juribusjurandis affirmavit, se non sine remuneratione relicturum esse calicem aquae frigidae, in suo nomine donatum; quomodo ergo suo praemio fraudare poterit virginitatem corporis, quod bellum gessit per centum annos, quodque ne in somnio quidem laxare potuit hostis ejus? Quis non reclamaret, si hoc fraudaretur? [7] Tres vicerunt ignem illum in uno die, hoc autem vicit omni die ignem habitantem in ipso, qui urit, donec exstinguitur, et ardet, donec defervescit. Beatus ille, qui per sitim exstinguit illum; alius enim ignis, quando ardet, aqua exstinguitur; hic autem ignis, quando exstinctus est, vino rursus refocillatur. [8] Si autem sollicitudo Domini persuadet nobis, quod sanavit totum hominem in omnibus, quod baptizavit eum spiritu sancto et nutrivit medicamento vitae, quanto tum odio digni sunt Manes et Marcion et coecus Bardesanes, qui legunt et non intelligunt, quod tota imago humana rursus colligatur in resurrectione. [9] Si enim altissimus se inclinavit, ut attolleret et rursus infigeret aurem, quam Simon abscidit et abjecit, ne periret, quanto magis totum hominem investigabit in resurrectione, ne quidquam de pulvere ejus remaneat? Nec in fornace interiit ulla pars capitis, (Dan. 3) ut indicaret sollicitudinem, quam adhibebit in resurrectione. [10] Si autem mandavit, ut panis colligeretur, si studuit, ut frusta et reliquiae ejus coacervarentur, si cavit, ne quidquam periret de benedictione sua, quanto magis mandabit de corporibus, ut colligantur ossa eorum et adaptentur commissurae eorum et loquantur ora eorum gloriam resuscitatoris? [11] Panis ejus sine ulla dubitatione testatur resurrectionem nostram. Si enim escae benedixit, quanto magis comedentibus? In duodecim panibus, quos post benedictionem fregit, benedixit et multiplicavit duodecim apostolos. Alium autem panem sumpsit et fregit, et eum quidem unicum,

---

[11] Rectam hujus loci de SS. Eucharistia explicationem in versione expressi. S. Ephraem enim minime eucharistiam figuram corporis Christi vocat, sed ait, Christum, sicut per numerum duodenarium panum apostolos significare voluerit, ita unicum tantum panem eucharisticum sumpsisse, ut etiam per hanc similitudinem numeralem corpus suum unicum in eo exprimeret.

ut inde unicum quoque corpus ex Maria ortum denotaretur. [12] Laetificavit viduam, cum vivificaret dilectum filium ejus; si ergo verum esset, quod dicunt stulti, corpus a diabolo esse, Malum utique resuscitasset et diabolum laetificasset, et in filia Jairi, quam vivificavit, peccatum resuscitasset. Dicendo autem, eam dormire, redarguit perfidos, docens corpus nostrum rursus excitatum iri. [13] Cum enim Jonas in mare dejectus et immersus esset, omnes convectores et nautae desperabant, nec putabant, eum mentis compotem esse posse, qui diceret, Jonam rursus ascensurum esse, aut eum sapientem esse, qui de hac re vel litigare posset. Haec quidem dura et difficilia, uni autem facilia erant, qui mari innuit, ut quiesceret, et pisci mandavit, ut eructaret. [14] Seges super pulvere ejus testatur resurrectionem corporis, quia in ipsa mortalitate sua resurrectionem suam praedicat, et resuscitatio occulta in ipsis ruinis ejus est. Pluviâ resuscitatur et excitatur, quanto magis ergo resurrectione aspergetur pulvis noster rore, quo homo formatur et resuscitatur? [15] Si autem ipsa locusta, quae in terram implantata et quasi sine spe in pulvere occultata est, sinus terrae, tamquam sepulcra, implet et relinquit, pudefiunt perfidi, qui nec ipsi locustae similes sunt, quae operuit et occultavit infantem suum, ut sepeliatur et resuscitetur suo tempore ex mandato divino. [16] Et si avis infantes suos, immobilia cadavera, summo amore congregat et alis suis amplectitur, et vocem vitamque iis imprimit in mortalitate sua, ut ex aqua ovorum exornentur omnes formae, et resuscitat inclusos et quasi sepultos ex putaminibus, quanto magis aperientur sepulcra per vocem, quae omnia resuscitat? [17] Porro ex semine et in semine generis humani homo derivare potest imaginem resurrectionis suae, quia et ipse, sicut mortuus, reservatur in utero, resuscitatur et excitatur cum doloribus, et egreditur in lucem, quasi in alium mundum. Conceptio et nativitas ejus fidejussores sunt resurrectionis ejus. ↓

---

[12] Bardesanes significari videtur, contra quem praecipue hoc carmen directum est. Certe Ephraem etiam ed. rom. II 553 F ait, Bardesanem corpus a diabolo deducere. Merx autem l. c. Bardesanem hoc omnino non docuisse contendit, cum Hilgenfeld hic quoque Ephraemi auctoritatem defendat.

XLVII. Quintum carmen ejusdem modi.

[1] Ignem occultum in ligno et silice vivificat et manifestat voluntas nostra per digitos suos. Si ergo voluntas nostra excitat creaturas, quanto magis voluntas omnipotens jubebit, ut anima rursus oriatur et splendeat in corpore, quod egressa reliquit? (Responsorium: Corpus et anima laudes tibi canant, Domine, in paradiso tuo!). [2] Revindica, Domine, injuriam, quam passa est domus, in qua habitavit anima, incola ejus. Hanc enim mercedem habitationis dedit illa, cum egrederetur, quod destruxit et demolivit domum. Rursus ingressa habitet in ea, jubilet in habitatione ejus et canat in mansionibus ejus, et denuo audiatur sonus ejus a deserto aedificio! [3] Portio vitae animae tremit in membris corporis, agitationes cogitationum animae palpitant in sensibus ejus, thesauri aromatum illius spirant in commissuris ejus; sed reddidit corpus, quod ab anima mutuum sumpserat, ut eam remuneraretur. Per illud enim acquisivit anima divitias suas, per illud canit gloriam suam, quando illic quaeruntur cursus et opera eorum. [4] Per os illius anima precationes obtulit ei, qui omnia audit, per manus illius eleemosynas mutuas dedit ei, qui remuneratur omnia, oculis illius legit scripturam, auribus illius audivit promissionem, pedibus illius in porta domus Dei ministravit, et videte, eam in tentatione omnino per corpus constantem manere. Laudetur ille, qui animam indigere fecit, ut glorificet corpus, socium ejus! [5] Voluntas creatoris ejus congregabit pulverem ejus, renovabit et faciet illud templum gloriae, introducet et consolabitur in thalamo ejus animam, sociam ejus, ut corpus contristatum in hade laetetur et desperatum jubilet ob promissionem suam, et illud, de quo desperaverunt stulti, magnam assequatur misericordiam. [6] Pedes ejus, qui vincti erant, saltabunt

---

XLVII. Docet corpus propter arctam cum anima conjunctionem et propter multa beneficia, quae anima ab eo accepit, nullo modo vita futura privari posse.

in paradiso, manus ejus vinculis solutae decerpent omnes bonos fructus. Oculi ejus, qui clausi erant, videbunt illuminatorem omnium. Os ejus, quod siluerat, aperietur, et aures, quae clausae erant, audient tubam, et corpus, quod corruptum erat, splendebit in gloria. [7] Etiam si revera ira, cupiditas, aviditas et reliqua vitia ex corpore emanarent, tamen, quia ea etiam reprimere potest per laborem voluntatis suae, confiteri debent ipsi perfidi, illud esse templum, et non erubescere spiritum habitare in coeno ejus, nec molestatum esse in eo, sicut Jeremias in fovea. [8] Redarguuntur perfidi, quia ipsorum verbis coarctantur. Se ipsos enim confutant, dum contendunt, spiritum sanctum habitare in ipsorum corpore detestando et vorace; itaque victi sunt, cum se vicisse putarent. Si enim corpus, quamquam adhuc sordidum est, pulchra est domus habitationis, quanto majorem gratiam consequetur post defaecationem suam in resurrectione? [9] Daemon habitans in corpore remanere cupit in eo, quamquam advena exosus et viator maledictus est. Jejunium tantum exstirpare potest voracem, qui non libenter egreditur. Quanto magis ergo habitationem suam diliget anima, quae, si cum corpore concordat, una cum eo expellit incolam daemonem et invitat spiritum sanctum, ut inter utrumque habitet. [10] Et si ipse spiritus immundus habitat in libatione et insidet mortuo et catenis vincto, et communicat cum ligno idoli exsculpto, quod audire nequit, quanto magis spiritus sanctus diliget corpus, quod spei confisum immolatum est, quia idolis immolare noluerat? Apertum est, quod ipsa occisio ejus testatur resurrectionem ejus. [11] Deus enim non est deus mortuorum, inquit Dominus noster. Mortui, qui mortuos suos sine spe sepeliunt, congregati sunt et disputaverunt cum vivificatore hominum; sed victi sunt in hac causa, quam construxerant. Recitavit enim iis scripturam et vivificavit iis mortuos, itaque et verbis et operibus confirmavit resurrectionem. [12] Vocavit Lazarum, qui egressus condemnavit illos. Si enim mortuus fuisset Domino suo, non potuisset audire eum. In ipsa morte sua vivus erat voci illi, quae eum excitavit. Mortuus revixit, sed illi invidia ducti mortui sunt. Dominus noster flevit propter eos, quia vivi mortui erant, qui con-

tristabantur resuscitatione, quae Lazarum laetificabat. [13] Mortuus, in quo occultata est secreta vita, vivit Deo jam antequam resuscitatus est. Ita etiam peccator mortuus est, antequam moritur. Mortuus perfidis demonstrat, quod ipsi mortui sunt, sepulti in vita sua, spiritu relicti in vestibus suis, putrefacti in peccatis suis. [14] Ne videant me, Domine, cum ipsis in Gehenna, nec glorientur, me in nullo ipsis praestare! Ne sine praemio remaneat, quod lingua mea pro veritate disputavit! Ne, Domine, illi videant me apud se ipsos! Sciant, te propter hoc mei misertum esse in resurrectione, quod de resurrectione locutus sum, in quantum potui!

XLVIII. Sextum carmen ejusdem modi.

[1] Effloruit et adolevit virga levitica, quia summa voluntas resuscitavit eam, ut demonstraret per eam mysterium resurrectionis. Insusurravit nobis in silentio suo, induta est fructibus et foliis, germinibus suis jubilavit, quod Aaroni tributae sint vestes sacerdotii et ritus sancti ministerii. (Responsorium: In resuscitatione tua, Domine, vindica injuriam, quam corpus passum est!) [2] Intraverunt et positae sunt omnes virgae sicut corpora, sed cum elatae et inspectae essent, una tantum coronata erat, et aliae omnes nudae ignominiam portabant. In virgis vide typum ultimi judicii, in quo corpora fornicatorum consistent in ignominia, et corpora sanctorum fulgebunt in gloria. [3] Haec autem virga posita est in arca sancta, et quamdiu ibi erat, floruit et exsultavit, quemadmodum etiam in paradiso corpora exsultant. Idem demonstrat manna, quae non aruit; quamquam enim in urna asservabatur, non computruit, ut foetida fieret, in typum mortalium, qui nunquam moriuntur in Eden. [4] Virga filii Amram repente gemmas egit; si ergo haec praeter naturam suam formam et vitam accepit, quanto pulchrior erit naturalis forma corporis? Virga vivificata commovit se per verbum divinum, et si haec praeter con-

---

XLVIII. Multis typis ex historia sacra et ex natura sumptis resurrectionem carnis confirmat.

suetudinem suam acquisivit, quae ei non propria erant, quanto magis corpus sua propria recipiet in resurrectione? [5] Moyses asservavit ossa et confregit tabulas legis. Diligentius, quam tabulas, gestavit cadaver. Alias tabulas pro confractis sculpsit, ut doceret, iis non resurrectionem destinatam esse. Non autem aliud corpus, quam illud Lazari, egressum est, ut indicaretur, hoc ipsum corpus esse, quod resuscitabitur. [6] Si quis tangebat ossa in deserto, Moyses eum quasi immundum proscripsit, ipsum autem ossa non inquinaverunt. Quadraginta enim annos circumtulit secum mortuum in castris, et pinxit illic typum ecclesiae, in qua praedicatur quotidie mors vivificatoris omnium, crucifixus vivus, qui ambulat in castris. [7] Digito pictoris et multis coloribus pingitur imago regis, et quia imago picta inveterascit, conflatur a sculptoribus simulacrum, quod non veterascit. Reges exaltant imagines suas; quis autem unquam vidit regem, qui mixtus est cum imagine sua, qui indutus est icone sua et sedet, ut ob ipsum adoretur imago ejus? [8] Alius fecit imaginem sexaginta sex cubitorum, et cum ipse sibi nimis parvus videretur, per hoc simulacrum magnificari voluit. Collegit huic simulacro adorationem, quae reprehendebatur. Dominus autem noster miraculum fecit in adventu suo, et cum naturâ infinitus esset, parvus factus est in imagine contempta, et collegit in hac imagine adorationem dispersam. [9] Adam rediit ad terram suam et confecit testamentum, scripsit illud et obnoxius factus est valde Morti et Peccato. Propter transgressionem praecepti Mors deglutivit eum tamquam pignus. Dominus venit, salvavit et resuscitavit eum; tum rescripsit Mors, et Hades cum ea se obligavit, ut omnia, quae diripuerant et decerpserant, reddere vellent in resurrectione. [10] Rursus costâ, ex qua et in qua Eva crevit, hoc os procreavit ossa et sensus et commissuras. Erat sarmentum ex Adamo, in quo occulta erat pulchritudo hujus aedificii. Ecce pulvis ejus in hade est; quanto facilius ergo erit architectae omnium, ut ex illo et in illo reaedificet illud per nutum adventus sui? [11] Nascuntur in aquis pisces sine materna misericordia, et mare aliis exitiale vitam iis praestat in profunditate sua, et lactitat eos in sinibus suis, quamquam ama-

rum est valde. Omnes celebrant Dominum omnium; pisces enim in mari letifero exsultant, et suffocantur, si efferuntur in aerem vitalem. [12] Ne pervertant te voces desperatae; est enim unus, per cujus mandatum ad vitam interfici potes, et per cujus nutum rursus ad mortem resuscitari potes. In thesauro voluntatis ejus omnia possibilia sunt. Mors justis est somnus in sepulcris eorum, sed vita peccatores occidit in gehenna.

XLIX. Septimum carmen ejusdem modi.

[1] Vide, mi fili, justitiam terrae, in quam injiciuntur triticum exutum et palmes denudatus, et quae utrumque portare facit escas et vestes. Reddit uvas, quas non mutuas accepit; caput et usuras reddit agricolae, quanto magis reddet Domino suo semina ejus sine usuris? (Responsorium: Veritas tua, quae in nobis est, fiat fermentum, quod attrahat nos!). [2] Non enim seritur unicum corpus et oriuntur ex eo plura per resurrectionem, sicut in tritico fit; sed unam tantum spicam generationum nostrarum novit et resuscitat, ut demonstret haereticis, quam perfidi sint. Nisi enim induisset corpus nostrum, quomodo gustasset mortem nostram. Et nisi interfectum esset corpus ejus, fraudulenter confregisset panem suum. [3] Terra, quae secundum mandatum ipsas serpentes gignit et aculeos noxios in vitam proreptare facit, quanto magis gaudebit de filio suo revicturo et resuscitando, propter quem honorata est, quia in plasmatione ejus manus creatoris dignata est pulverem terrae, et quia propter eum Dominus noster se demisit et in terra ambulavit. [4] Sterilitas pejor est, quam Hades, si comparantur; in illius enim sinu suffocatur semen vitae, in Hade autem nunquam aliquid vivi sepultum est, sed corpus nonnisi post mortem eum intrat. Si ergo ipsa sterilitas restituit homines,

---

XLIX. Ex analogiis naturae argumenta ad probandam resurrectionem profert.

[2] Docetarum errorem, quem etiam Marcion, Bardesanes, Manes tuebantur, obiter refellit.

quanto magis reddet eós uterus terrae in resurrectione? [5] Durior est etiam ignis, quam hades, si explorantur; ignis enim vivos et mortuos devorat in fame sua. Et tamen secundum mandatum incolume servavit corpus in sinu suo, oppressor dedit et multiplicavit; caput cum usuris reddidit spectatoribus, quia pro tribus quatuor monstravit. [6] In ignem, qui multos perdidit aviditate sua, inciderunt tres et multiplicati sunt in sinu ejus. Ignis, qui avare retinere solebat omnia, quae comederat, plus retribuit Nabuchodonosoro, qui delere voluit, et qui mutuum dedit, ut perderet; retribuit ei, quamquam non poscebat. Plus accepit et pudefactus est, per acceptam restitutionem verecundatus est. [7] Similis est diabolo, qui et ipse mutuum dat et non reposcit. Pecuniam suam demergit ad mutuantem, mutuo dat et sibi foenus usurasque tantum educit. Ignis restituit Nabuchodonosoro, collegae suo, quod non repetiverat. Quanto magis reddet terra debitum suum in resurrectione Justo, qui repetit illud? [8] Corpus mortuum gignit vermes per generationem aequivocam. Si ergo ipsa mors vitam gignit, quanto magis vivificator omnium mortem vivificabit? Corpus mortuum gignit in hade, et si ipsa mors palpitat in vita, quanto magis palpitabunt ossa illius per vocem, quae omnes vivificat? [9] Propheta in campo doceat te, quomodo ossa immobilia mota sunt per mandatum divinum. Domus reaedificavit se ipsam, quia architecta ejus mandaverat ei, et Mors, quae in hade regnat, repente operata est, ut ossa applicaret et laboravit in reaedificatione templi illus, quod destruxerat. [10] Hiems immisericors latronum more egreditur et arbores vestibus suis exuit; contristat et denudat eas, quia vestes iis eripit. In omnibus imago est mortis. Sed Nisan rursus omnia efflorescere facit et, sicut vivificator omnium, floribus et arboribus restituit vestimenta eorum. [11] Herbas et stipites, flores et calyculos excitat in splendoribus eorum et tingit eos coloribus. Si ergo gratia Boni tam sollicita est in omnibus de floribus, qui nihil ei mutuum dederunt, absit, ut justitia ejus corpora dilectorum suorum praemio fraudet eorumque

---

[6] Cf. Daniel 3.

obliviscatur in glorioso adventu suo! [12] Quis occultare potest solem in sinu suo, quis abscondere potest montem in fimbriis suis, quis operire potest veritatem disputatione sua? Est enim spes dormientibus; quis enim refellere potest congregationem probationum et Bonum, cujus arrhabones testantur resuscitationem? [13] Si Sara laetatur, quod rursus excipiet Abraham et fient ambo in regno coelorum una in puritate, quanto magis laetabitur anima, quod rursus accipiet socium suum? Separatio eorum testatur amorem eorum. Lacrimae, quas in separatione sua effundunt, persuadeant tibi, quod rursus se invicem videre desiderent in resurrectione. [14] Voca corpus ipsum, ut testetur resurrectionem suam! Cum enim formaretur Adam ex illa terra fusca, fons discretionum infusus est in pulverem. Hic pulvis mutatur in omnes formas, loquitur, videt, audit, olfacit, sentit, gustat, et peccare ausus est et cecidit, et misericordiam consecutus reviviscit et ascendit. [15] Petra et saxum, quae scindebantur per mandatum, quae percussa sunt, quamquam nihil intelligebant, et a quibus reposcebatur, quamquam nihil acceperant, omnibus hominibus potum praebebant, quamquam nihil ab hominibus mutuum sumpserant. Mors edax dirrumpetur per scissuram repentinam et per sonum cornus illius, quod vocat mortuos, ut obviam eant filio regis. [16] Et quemadmodum, si repente noctu accidit tonitru vehementissimum ét scissura maxima, dormientes obstupescunt et excitantur et somno immersi commoventur; ita etiam per sonum ultimi cornus excitabuntur mortui, non propter vehementiam illius, sed quia mandatum divinum in eo habitat in resuscitatione. [17] Et si repente resuscitati erunt, obstupescent et perturbabuntur; alter enim meminerit peccati sui, alter immunditatis suae. Beatus ille, qui hujus horae memor est, in qua homines perturbati et territi erunt, quia flagella irae percutient peccatores. Orent pro me omnes justi in illo tempore!

L. Ad modum: Tu, Domine, scripsisti.

[1] Dum vivo, laudabo te, nec ero tamquam exsistentiam non habens. Laudabo te in vitá mea, nec ero mortuus in vita mea. Otiosus enim dupliciter mortuus est, quia terra avara agricolam defraudat. (Responsorium: Tibi, Domine, os meum fructificet gloriam acceptabilem!) [2] Tibi, Domine, os meum laudem tribuat ex silentio! Ne sit os nostrum sterile in glorificatione tua, nec orbentur lábia nostra laude tua, sed gloria tua palpitet in nobis! [3] Figulati figulant pulverem, et terreni laborant in terra. Dilectum est nobis corpus, cognatus noster, sicut familiaris. Pulvis enim est radix nostra et rami nostri fructus laborum ejus portant. [4] Dictum est: noli sollicitus esse in diem crastinum, sed nos in annos solliciti sumus. Ille, qui omnes vestit, textrices vilipendit ob lilia; nutriens omnes, qui omnibus omnia praebet, arguit avidos per corvos avidos. [5] Aetas nostra similis est folio, quod, si decidit, explevit tempus suum. Hunc autem tam brevem terminum vitae nostrae prolonget gloria! Per eam enim possidebimus infinitam vitam, si magna fuerit extensio dilectionis nostrae. [6] Quia in Domino nostro insita est radix fidei nostrae, hic nobis vicinus est, quamquam remotus est. Nam per commixtionem charitatis, radices dilectionis nostrae ligatae sunt cum ipso, et extensiones gratiae ejus permixtae sunt nobiscum. [7] Corpus fiat, Domine, templum aedificatori suo, anima fiat arx gloriae architectae suo! Ne fiat, Domine, corpus nostrum fovea, nec anima nostra portus damnosus! [8] Et quando exstinguitur lumen hujus temporarii spiritus vitae, rursus illumina tempore matutino lucernam, exstinctam in vespera. Sol veniens calore ortus sui excitet frigida, et illuminet exstincta. [9] Decet nos laudare lumen illud, quod omnia illuminat. Mane enim lucerna exstinguitur, quia sol ascendit. Hic autem novus sol novum facit in hade, illuminando

---

L. Laudat Deum, quod eos, qui in Christo obdormiverunt, rursus vivificat, eosque secundum corpus et animam vita donat immortali.

lucernas exstinctas. [10] Pro morte perfecta spirare fecit odorem mortis suae. Odor vivus vivificans omnia spirat in hade; mortui novam vitam hauriunt ex vitalitate ejus, quia mors in ipsis moritur. [11] Typus erat, quod odor sepulti mortuum vivificavit. Mortuus recens hausit vitam ex mortuo vetere; odor vivus spiravit ex ossibus et intravit cadaver, praefigurans vivificatorem omnium. [12] Jesus exposuit nobis mysteria, quae in hade erant. Nam ab hac lucerna exstincta rursus illuminata est lucerna, et quamquam ipse prostratus erat, tamen resuscitavit ruinas; remansit et emisit testes adventus sui. [13] Quamquam te perscrutari vellem, Domine, non tamen possem explorare te. Nihil enim exploravit mens mea de absconditate tua, sed vidi solam imaginem apertam et illustrem, tibi similem; occulta est enim investigatio tua.

LI. Ad modum: O dator discretionis.

[1] Incidi in zizania, fratres mei, colore tritici induta, ut bonum semen impedirent, de quibus mandatum est agricolis: nolite abstollere aut exstirpare ea! Quamquam igitur agricolae rem non curabant, tamen convaluit semen prae zizaniis, crevit et multiplicavit, operuit et suffocavit illa. (Responsorium: Gloria sit tibi, vivificator omnium!). [2] Venit mihi in manus liber Bardesanis, et ad horam contristatus sum. Polluit puras aures meas et fecit eas transitum sermonis blasphemiarum pleni. Itaque confestim ablui eas per claram puramque lectionem scripturarum divinarum. [3] Audivi per illam lectionem, quod blasphemat contra justitiam et ejus collegam, gratiam. Si enim corpus non resurgeret, summae ignominiae esset gratiae, quod illud creasset quasi ad corruptionem, et blasphemia esset in justitiam, quod illud projiceret tanquam ad interitum. [4] Contristat autem haec lectio animam et corpus pari modo; injicit enim inter hos amicos separationem sine ulla spe. Corpus defraudat resurrectione sua et animam socio suo, et damnum, quod intulit serpens, Bardesanes lucrum nomi-

---

[11] Alludit ad Elisaeum, qui mortuus mortuum resuscitavit.
LI. Bardesanis blasphemias contra resurrectionem carnis refellit.

nat. [5] Et si ille, qui unum corpus interficere ausus est, mortis reus est, pro eo, qui occidit linguâ suâ omnium hominum corpora, nec ipsum mare magnum, si in illud demergeretur, spondere posset, quod mensurâ aquarum suarum satisfacturum esset pro homicidiis, quae perpetravit lingua ejus. [6] Quot occisores acerbi fuerunt corpori debili! Cain primus interfecit id et tradidit cruentum gladium suum aliis, ut ipsum imitarentur. Et ecce omnes discipuli ejus in arte ejus laborant, ut similes fiant magistro, qui a se ipso didicit. [7] Interfecerunt corpus gladii aperte et linguae secreto; astutus diabolus interfecit id primus et callidus haereticus postea. Serpens acerbus edulcavit linguam suam, cum interficeret illud; nec minus discipuli ejus acerbi interfecerunt id dulci lingua. [8] Benigna gratia plasmatoris tui exsurget, o corpus, contra oppressionem tuam. Serpens ejecit te ex paradiso et infantes ejus te ejicere student e regno coelorum; ille separavit te ab animalibus et hi a resurrectione. Adcurrit serpens in initio et discipuli ejus in fine. [9] Anima autem, quamdiu corpore induta est, valde provida est, ne ab invicem separentur in hac vita transeunte. Quomodo ergo perferre poterit, ut in fine sine ipso vivat. Non sinet amor ejus, ut se contineat a resurrectione illius. [10] Vide, quomodo se ipsos redarguunt et refutant in sermone suo! Timent enim haeretici gladium et serpentem letiferum. Filii serpentis timent serpentem propter mortiferum corpus, quamquam oporteret eos etiam vitam corporis odisse, quemadmodum oderunt resurrectionem ejus. [11] Voluptates enim odiosae sunt; odio habentur et explorantur; illas lex reprehendit, illas judex persequitur, de illis poenitenti poenitentia imponitur. Corpus autem magni aestimatur in scriptura, diligitur etiam naturâ, et ipse homo pro eo sollicitus est. [12] Poscit etiam creator interfectorem, qui corpus destruxit. Justus dissolvit compositionem ipsius, ut discat, quantum malum sit destructio imaginis, quam pinxit gratia. In corpore, quod dolore affecit, ipse dolore afficitur. In suo corpore discit interfector, quod destruxit templum creatoris. [13] Interfector autem si vindicatur, utique animam ejus, quem interficit, non solvit et liberat, sicut illi dicunt. Si ergo talis solutor pro occisore habendus est, quor-

sum fugiet Bardesanes, qui in disputatione acuit linguam suam, et interficiendo ademit corpori vitam illam, quae in resurrectione donatur? [14] Primus interfecit corpus per consilium suum, et alter per doctrinam suam. Ille interfecit illud, tamquam curam gerens, et hi tamquam auxilium ferentes. Disputatores in astutia facti sunt socii serpentis; ita etiam pudefient filii serpentis, sicut primus pater eorum. [15] Per membra et sensus corporis anima omnia bona discit. Si ergo corpus odio dignum esset, quomodo anima per id bona opera perpetrare posset, et si naturâ suâ mendax esset, quomodo per id veritatem discere posset? Non enim datur artifici instrumentum, quod operi ejus non respondet. [16] Non enim scribit scriba librum falce vinitoris, nec pingit pictor serrâ fabri tignarii, nec sanat medicus oculum aculeo exoso scorpii, nec unquam incidit ulcus dente serpentis et cerastis. [17] Omnia enim firmiter cum discretione construuntur instrumento sibi cognato et sensu se participe. Porro si corpus sub peccato esset, nemo in eo justificari posset. Justi autem, qui triumphaverunt in eo, oppugnant calumniatores ejus.

LII. De Diabolo et Morte.

Ad modum: O mors, noli superbire!

[1] Audivi Mortem et Diabolum magna voce disputare, uter alio potentior sit apud homines. (Responsorium: Gloria sit tibi, fili pastoris omnium, qui salvasti gregem tuum ab occultis lupis, qui devoraverunt eum, diabolo scilicet et Morte!) [2] Mors monstravit potentiam suam, quae omnes vincit; Diabolus monstravit calliditatem suam, quae omnes ad peccandum inducit. [3] (Mors:) Tibi, Male, soli volentes obediunt; ad me autem volentes et nolentes venire debent. [4] (Diabolus:) Tu, o Mors, vim tantum infers tyrannicam; ego autem laqueis et retibus astutiae utor. [5] M. Audi, Male, quod ii ipsi, qui astuti sunt, jugum tuum confringunt; meo autem jugo nemo resistere potest. [6] D. Tu, Mors, in aegrotis

---

LII. Diabolus et Mors altercantes introducuntur, uter eorum potentior sit.

potentiam tuam exerces, ego autem apud sanos multo potentior
sum. 7 M. Malus non in omnes, qui ei maledicunt, potentiam ha-
bet, ad me autem omnes venire debent, qui mihi antea et nunc
maledicunt. 8 D. Tu, o Mors, a Deo potestatem accepisti, sed me
solum nemo adjuvat, quando peccare facio. 9 M. Tu, Male, tam-
quam debilis laqueos disponis; ego autem, tamquam rex, potentia
mea utor. 10 D. Stultus es, Mors, quia non intelligis, me eo ma-
jorem esse, quod liberam voluntatem, reginam illam, capere pos-
sum. 11 M. Tu, Male, sicut fur clam circumire soles, ego autem
sicut leo omnes confringo et neminem timeo. 12 D. Te, Mors,
nemo colit vel adorat, me autem reges quasi deum sacrificiis co-
lunt. 13 M. Mortem tamquam benignam multi advocant, te autem,
Male, nemo unquam advocavit aut advocat. 14 D. Nonne vides,
Mors, quot me invocant et mihi sacrificant diversis ritibus? 15 M.
Exosum est nomen tuum, o diabole, nec illud emendare poteris.
Omnes maledicunt nomini tuo; absconde ignominiam tuam! 16 D.
Te surdastrum esse oportet, Mors, quia non audis, quod omnes
homines de te gemunt. Absconde te! 17 M. Aperta est facies mea
in mundo; non enim decipio sicut tu, qui sine dissimulatione tui
remanere non potes. 18 D. Nihil aliud invenisti praeter veritatem,
te hominibus non minus exosam esse, quam me. 19 M. Me omnes
homines timent, tamquam dominum, te autem oderunt, tamquam
malignum. 20 D. In te, Mors, et nomen et opus tuum odio habe-
tur; in me autem nomen quidem meum odio habetur, voluptates
autem meae valde amantur. 21 M. Haec dulcedo tua mutatur in
fel aspidum; poenitentia animae semper adhaeret voluptatibus tuis.
22 D. Hades exosus est, quia in eo ne poenitentia quidem agi po-
test, sed fovea illa deglutivit et avare custodit omnes motus.
23 M. Hades est gurges, in quo resuscitantur omnes, qui incide-
runt in eum; peccatum autem exosum est, quia omnem spem ho-
mini adimit. 24 D. Ego, quamquam moleste fero poenitentes, ta-
men locum poenitentiae relinquo; tu autem omnino abscidis spem
peccatoris, si moritur in peccatis suis. 25 M. A te ipso antea prae-
ventus spe fraudatus est; qui enim non a te ad peccandum pel-
lectus est, utique beate moritur. 26 Laudetur ille, qui in alteru-

trum immisit servos maledictos, ut videremus illos, quemadmodum viderant nos et gloriati erant de nobis! [27] Quod nunc spectamus eos, fratres mei, est arrhabo, quo certi fiamus, nos eos iterum cum gaudio spectaturos esse post resuscitationem nostram.

LIII. Alterum carmen ejusdem modi.

[1] Venite, audiamus certantes de victoria, reos, qui nunquam vicerunt, nec in posterum vincent. [2] Mors Malo ait: In fine mea est victoria; Mors enim sicut victor finem vitae capit. [3] Diabolus: Tum demum vera mors esses, si hominem vivum occidere posses per cupiditates. [4] M. Ego omnes mortuos video, bonos et malos; ipsi justi, qui te, Male, contempserunt, me contemnere nequeunt. [5] D. Haec mors corporis somnus tantum temporarius est; noli te mortem putare, o Mors, quia tamquam umbra es. [6] M. Te, Male, justi vicerunt et vincent; ego autem vinco etiam illos, qui te vicerunt. [7] D. Etiam hoc, quod justos occidere potes, non ex tua potestate facis; propter Adamum enim, quem ego vici, hunc calicem bibere debent. [8] M. Ecce hades plenus est Sodomitis et Assyriis et gigantibus, qui in diluvio perierunt; quis est sicut ego? [9] D. Hi omnes, o Mors, a me occisi sunt; ego enim eos ad peccata pellexi, ut perirent. [10] M. Vici Josephum, qui te vicit, o diabole! Vicit te in thalamo, sed ego vici eum et dejeci eum in sepulcrum. [11] D. Quis in petra vicit Moysem, qui te, o Mors, per effusionem sanguinis in Aegypto vicerat? [12] M. Elias, qui te non timuit, o diabole, fugit Jezabel, quia me timebat. [12] D. Aaroni, qui te cohibuit, o Mors, per tus aromaticum, dedi inaures aureas et conflavit vitulum. [14] M. Descendisti ad pugnam cum Job, et vicit te et ascendit; ego autem, postquam te vicit, eum vici. [15] D. David sacco suo cohibuit pestem illam, sed ego vici in tecto victorem Goliath. [16] M. Jehu, qui destruxit domum Beli, templum diaboli, haden, arcem regni mei, destruere non potuit. [17] D. Salomonem,

---

LIII. In hoc quoque carmine Mors et diabolus de potiori potentia decertant.

qui eripuit ex ore tuo infantem in judicio, feci cultorem altarium
idolorum in senectute sua. 18 M. Samuel sprevit te in auro, o
diabole, ego autem vici hunc victorem, qui vicerat corruptionem.
19 D. Samson contempsit te, o Mors, in catulo leonis, ego autem
per Delilam, vas debile, in mola subjugavi eum. 20 M. Josias jam
a pueritia sua contempsit te, Male; me autem ne in senectute
quidem sua superare potuit. 21 D. Ezechias superavit te, Mors,
cum terminum vitae suae vinceret; ego autem incitavi eum, ut
praeteriret miraculum et monstraret thesauros suos. 22 M. Joannes
vicit te, Male, expiando et baptizando, ego autem exstinxi hanc
lucernam, quae te detexerat. 23 D. Simon vicit te, quia vivificavit
illam beatam. Vicit te per mulierem, sed et ego per mulierem
vici eum et adduxi ad negationem. 24 Apostoli et prophetae uno
ore maledixerunt tibi, o Mors: Ubi est victoria Mortis et aculeus
Hadae? 25 Dominum tuum in hade inclusisti, serve maledicte;
te oderunt Deus et homines, sile! 26 M. Ipsa voluntas vivificatoris
omnium inclusit eum in hade; tu autem ad hoc commovisti eum,
quia Adamum ad peccatum pellexisti. 27 O collega Nabalis, qui
in deserto conviciatus est dominum suum, maledictum sit os tuum,
quod dixit: procumbe, adora me!

LIV. Tertium carmen ejusdem modi.

1 Libertas, audi disputationem duorum servorum, quomodo
ab alterutro arguuntur, quod debiles sint! (Responsorium: Gloria
sit tibi, quia per humiliationem tuam exaltatus est Adam, et per
mortem tuam resuscitatus est et rediit in Eden!) 2 Si ergo Malus
vincet te, magna tibi erit ignominia: Mors enim, collega ejus, ar-

---

[19] Vox *debilis* syriace est ܕܠܝܠܐ (dèlila) unde lusus verborum oritur, qui latine exprimi nequit.

LIV. Poeta observat primum, Mortem et Diabolum se invicem tamquam impotentes perstringere, ergo liberum hominis arbitrium omni excusatione carere, si ab iis vincatur aut seducatur. Tum rursus subjungit disputationem inter Mortem et Diabolum, in qua Diabolus quidem se fortiorem esse probat, cum ipse etiam mortis verus auctor sit, sed simul etiam prodit, se in malitia tantum excellere et omnia mala ad ipsum referenda esse.

guit eum, quod debilis sit. [3] Rursus etiam, si Mors te debilem reddit, erit tibi contumelia; diabolus enim, collega ejus, contempsit eam, quia tamquam umbra esset. [4] Disputatio eorum est tibi speculum, in quo videas, utrumque quasi paleam esse in afflatu tuo. [5] Etiam prophetae et apostoli docent te in promissionibus suis, utrumque sicut flores marcescere in ortu tuo. — [6] Diabolus: Te, o Mors, oderunt vivi et mortui, quia omnes conjunctiones solvis et destruis. [7] Mors: Mors aperta non occidit, o diabole; tua mors secreta homines occidit. [8] D. Non exosum est nomen meum, sicut tuum; ipse enim angelus in via comparavit se ipsum cum Satana coram Balaam. [9] M. Quam aptum est hoc nomen tuum, o Satana; quia ipse a via deflexisti et deflectere fecisti Adamum imperitum. [10] D. Noli evagari, sicut idiotae, et rem tuam perdere, sed disputa, Mors, si responsiones proferre potes. [11] M. Scio te astutum esse, Satana, ita ut ex pulvere laqueum parare possis. [12] D. Jam finita est disputatio tua, o Mors! is enim, qui vincitur, conviciari incipit, quando verba ejus deficiunt et finita sunt. [13] M. Apud omnes victor sum et per te vincor. Tamen Adam persuadeat tibi, quod ego eum vicerim, o diabole! [14] D. Ego vinxi Adamum eumque tibi objeci; gigantem adiisti et de eo triumphasti, postquam per meas astutias vinctus est. [15] M. Ego novo modo coronavi me coronâ in mundo; Adamum enim, caput gigantum, inclusi in hade. [16] D. Ego per mortem secretam interfeci Adamum, cum peccaret; tu, o Mors, mortuum tantum interfecisti, qui jam antea a me interfectus erat. [17] M. Cum cuperes vincere, o Male, te ipsum tantum odiosum reddidisti; significasti enim, te ipsum et Mortem et Diabolum esse, et hoc tibi adhuc parvum videtur. [18] D. Conticuisti ergo, o Mors, tamquam debilis, quia nec verbis nec operibus mihi resistere potuisti. [19] M. Malignitate tantum, o Male, superas me, si sapis; corona tua omnino ignominiosa est, si intelligis. [20] Ego vincor, sed tu malediceris; malo equidem idiota esse, quam nebulo. [21] Laudetur Justus, qui

---

[9] Eandem derivationem vocis Satanae a radice ܣܛܐ S. Ephraem profert etiam ed. rom. II. 498 d.

divisit eos, qui tam concordes fuerant; laudetur Bonus, qui nos concordes facit antea divisos! [22] Vincam Malum cum venia tua, o miserator omnium; et vincam Mortem per resuscitationem tuam, o vivificator omnium!

LV. Quartum carmen ejusdem modi.

[1] Ecce Malus Morti conviciatur et rursus ab eo convicia audit; ex ipsis et in ipsis expostulationes audiuntur. (Responsorium: Gloria sit tibi, o fili Domini omnium, qui pro omnibus mortuus es et resuscitatus, ut omnes vivifices in die adventus tui!) [2] Diabolus: Jonas, qui te vicit et ex hade rediit, mihi advocatus factus est, cum quaereret, cur peccatores in vita remanerent. [3] Mors: Ne calumnieris filium Amathi, o Male! Ideo enim faciem iratam monstravit, ut illi eo magis Deum laudarent. [4] D. Valde debilis est tota persuasio tua, o Mors tyrannica; nihil enim mihi placet ex omnibus, quae dixisti. [5] M. Quonam scilicet tempore unquam placuit tibi vox veritatis? Fovea est inter te et veritatem, o mendax! [6] Justus fui ab initio dierum mearum, nec poenitentia indigeo; ego tibi homines eripio. [7] D. Gaude de poenitentia tua, o Mors; pulchre advenisti. Ecce etiam Saul est inter prophetas, ignominia magna. [8] Si tu, o Mors, justificari poteris, tum ego nec de mea ipsius poenitentia desperare debeo. [9] M. Idolum coram Domino nunquam feci, o tu, qui oderis dominum tuum; tu autem per idola mortua vivos interficis. [10] D. Scio, o Mors, te meum et me tuum dimidium esse; dimidium meum poenitentiam agit; si autem hoc facit, ego obstupesco. [11] M. Ego socius tuus in portione tantum sum, in peccato non item; ego accipio occisos, tu occisores, quos ad peccatum induxisti. [12] D. Calliditas mea paene de se ipsa flere cogitur, quando tecum disputo; astutiae meae in me contristantur, quando ad te venio. [13] M. Ha-

---

LV. Mors conjunctionem suam cum diabolo solvere et se justificare studet. Diabolus respondet, eam non minus ream culpae esse, quam se ipsum, et tandem eam orat, ne tempus frustra per disputationes perdat, sed ut una cum ipso omnes vires in opus suum intendat.

riolos auguria exercentes et magos cum omnibus peccatis, illum ignem, quem incendisti in terra, ego exstinxi in hade. [14] D. O poenitens, qui excolas culices et deglutis justos, scindent te sancti, qui clamant ex ventre tuo. [15] M. In me tamquam in gazophylacio asservantur omnes justi; tibi autem, qui eos persecutus es, minatur resurrectio eorum. [16] D. Edax, quae universam creationem in intestinis suis portat, ecce gloriatur in me, qui opibus meis spoliatus sum. [17] M. Ante castigationem noli infremere; nondum enim adhuc ad te pervenit. Sed veniet dies, qua clamabis, ego autem audiam et gaudebo. [18] Veniet ignis, qui etiam tibi cutem detrahet, quemadmodum detraxisti per testam cutem Job. [19] D. Afflatus pigritiae mihi involitare coepit; videtur mihi somnium, quod vel per parvum momentum otiosus remansi. [20] Non ideo silui, quia verba mihi deficerent, sed dolui de tempore frustra praeterlapso. [21] Multum mihi detrimentum intulit sermo tuus, utinam non audivissem eum! Omnis enim animus meus in opus meum intentus est. [22] Hoc quoque genus humanum, quod periit, cogitationum evagatio corrupit; otium cum incuria illud subjugaverunt. [23] Delirium cupiditatis licitatum est et emit divitias; contentio cum gloriatione fidejussores erant. [24] Constantiâ, non fortitudine pugno, et si per paucum tantum tempus pugnam negligo, nulla jam est mihi potentia. [25] Per assidua stillicidia rupes scindo, et assidua commotio vel montem dissolvere potest. [26] Consuetudo domina fit ipsi naturae; etiam leonem docet et ducit sicut jumentum. [27] Per consuetudinem, quietem, lucrum, constantiam vincitur libertas, quamquam omnibus duriorest. [28] Si voluntas ejus invalescit, vincula confringit; si autem negligens fit, a reti debili capi potest. [29] Si rugit libertas, dissipamur; si autem quiescit, congregamur, ut ei illudamus. [30] Ne multum loquamur, ne forte etiam multum otiosi simus. Unanimiter cum muro pugnemus, et ecce scindetur. [31] Abi et inspice aegritudines, ego autem inspiciam laqueos; mihi enim peccata et tibi pestes multam consolationem ferunt. [32] Ego, etsi quiesco, non cesso a sollicitudine mea. Voluntas enim mea nunquam otiosa, sed semper parata est.

LVI. Quintum carmen ejusdem modi.

[1] Mors: Cum libertate est tibi pugna, o Male, quae te fiscellâ capistrare potest, si ei placet. (Responsorium: Gloria sit tibi, per cujus victoriam fortitudinem nacti sumus, et per cujus resurrectionem etiam mortem contemnere possumus!) [2] Ecce illi se rursus alterutrum detexerunt, quod debiles essent; Mors Malo in memoriam revocavit fortitudinem tuam, o libertas. [3] Diabolus: Ignis est in nido tuo, o Mors, quem tamen non sentis. Fides defunctorum est tibi dissipatio. [4] Ecce Mors et Malus praedicant fortitudinem tuam, o libertas; etiam Malus in memoriam revocat fidem tuam. [5] Si autem adversarii tui tuam defensionem suscipiunt, hoc certe magnum est, quod persecutores tui facti sunt praedicatores tui. [6] M. Ego confiteor, o Male, quod reservo thesauros regis tamquam usuras usque ad adventum ejus. [7] D. Ego autem abnego potius, o Mors; non enim Dei est hic thesaurus astutiae, quem collegi. [8] M. Fraude igitur comparatum est signaculum tuum, o diabole, ita ut in thesaurum Dei recipi nequeat. [9] D. Novum signaculum quasi rex imprimo; ecce mercatores mei damnum important in mundum. [10] Deus ex nihilo creavit omnia, et ego ex nihilo creavi magnum peccatum. [11] M. Occludatur et obturetur os tuum, Male, quia tam audax es, ut te cum creatore compares. [12] D. Me, o Mors, talia audere et dicere licet; tua lingua servilis et timori subjecta est. [13] M. In posterum fovea erit inter nos, o diabole, ecce enim rabiose in Dominum tuum verbis irruisti. [14] D. O Mors, cur dubitas de concordia nostra? Es nobis amicus et membrum, tum regnabimus. [15] Veni, evaginemus utrumque gladium contra genus humanum, ego in secreto et tu in aperto, tum consumemus illud. [16] Peccatum et Hades consilium dederunt his duobus: Si divisi eritis, destruemini. [17] Videte aquas, quae, si dissipantur, humiliantur,

---

LVI. Diabolus ait, se solum a nemine dependere et peccatum, sicut Deum, ex nihilo creavisse; ideo Mors eum tamquam blasphemum detestatur. Sed diabolus eam rogat, ut, veteri amicitia servata, viribus unitis opus suum prosequantur.

si autem congregantur, roborantur, quemadmodum etiam vos.
18 Si divisi eritis, evanescetis, tamquam debiles, si autem vos con-
junxeritis, regnabitis, tamquam fortes. 19 Concordia multos effundit
sicut in fornacem et facit ex iis unum corpus magnum, quod om-
nia vincit. 20 In eo sunt sapientia et astutia, potentia et forti-
tudo; multo majus est quam simulacrum sexaginta cubitorum.
21 Reconciliemur, congregemur, eamus in hanc partem, quae, dum-
modo concors erit, nunquam vinci poterit! 22 Haec locuti sunt
turbulenti et congregati sunt et advenerunt. Tua dies, Domine,
congreget eos in gehenna! 23 Per gratiam tuam te, Domine, ado-
rabo post resuscitationem meam; tempore tubae tuae laudabo filium
tuum post expiationem meam!

LVII. Sextum carmen ejusdem modi.

1 Audite, fratres mei, quomodo Mors irrisit diabolum, quia fe-
cerat peccare auctorem et genitricem generis nostri. (Responso-
rium: Gloria sit tibi, per cujus mansuetudinem victus est diabolus,
et cujus humiliatio exaltavit Adamum humiliatum!) 2 Mors: Vide-
bunt filii Adami magnam tuam denudationem, quemadmodum ir-
risisti denudationem illius, cum eum ad peccatum pellexisses. 3 Eva
relinquet serpentem illam et tibi conviciabitur; tu enim decepisti
simplicitatem ejus, o draco! 4 Abel videbit Cainum, qui ad te
venit; de magistro maledicto conqueretur discipulus irae ejus.
5 Diabolus: Noë, qui vicit diluvium sicut mortem, irrisi per os
Cham, postquam vinum eum vicit. 6 M. Non Noe laesus est, sed
tuum ipsius vas induit maledictiones, quia tu eum indueras, et
factus est servus. 7 D. Lot vicerat quidem iram, quae erat typus
tuus, o Mors; sed filiabus ejus consilia dedi, quae mihi placebant.
8 M. Etiam uxor Lot audivit consilium tuum, quia vas tuum erat.
Exarescat dimidium saltem tuum, quia exaruit totum vas tuum!
9 Subvertatur Gehenna super caput tuum, quemadmodum malitia
tua subvertit Sodoma super inhabitatores eorum! 10 Undae ignis

---

LVII. Mors describit cruciatus, quibus diabolus post judicium afficietur, ut pro sua contra homines malitia puniatur.

incitabuntur in te in resurrectione, quia populum incitasti in Moysem
et Eliam. [11] In fine irridebunt te justi et gaudebit Joseph, quem
fratres irriserunt, quos perturbasti. [12] Vapor fumi ascendet et
suffocabit sensus tuos, quemadmodum aquae maris suffocaverunt
sensus impiorum. [13] Etiam castae irridebunt te, quia per tuum
consilium filiae Madian irriserunt stultum populum. [14] Flamma
ardebit in capite tuo propter Samsonem, quia per mulierem de-
tondisti crines hujus fortissimi leonis. [15] D. Saul, quem vici per
invidiam, praevaluit tibi per hariolationem, quia poposcit et exire
fecit Samuelem ex sepulcro suo. [16] M. Noli conviciari vivo
mortuo; non enim ipse ascendit, sed tu ascendisti in pythone;
hoc enim te decebat. [17] Super flammam suspendet te mandatum,
Male, quia per te suspenderunt Absalon in arbore. [18] In igne
videbis humiliationem tuam inter impuras, quia Salomo per te
humiliatus est inter paganas. [19] Justitia adaptabitur tibi pro eo,
quod inflammasti Jézabel, quae comedebat prophetas et a te incen-
debatur. [20] In igne ardebis justo judicio, quia inebriasti duos illos,
quos igne consumpsit Elias, cum eum aggrederentur et ascende-
rent. [21] Super te etiam carbones accumulabuntur; videbit et gau-
debit Naboth ille, super quem accumulasti acervum lapidum.
[22] Contumeliâ indutus eris in die judicii coram spectatoribus, quia
Giezi leprâ induisti per furtum tuum. [23] Fulmine percuteris pro
telo, o diabole, quia tela infixisti in cor Josiae. [24] In coenum
gehennae immergeris, o diabole, quia Jeremiam in coenum foveae
immersisti. [25] Egressus est Daniel ex fovea, in quam tu eum in-
jecisti; erit ei solatium, quando videbit te in aeternum in fovea
ignea. [26] Revertetur iniquitas tua in caput tuum, o osor hominum,
sicut reversa est iniquitas ejus in caput Aman, collegae tui.
[27] Sponsa regis illudet te, sicut Esther, quando petes ab ea in
die judicii, ut pro te intercedat. [28] Dimisit ignis justos, quos
vinxeras; tibi autem magnum erit vinculum, flamma ignea. [29] Di-

[30] Mater septem fratrum vulgo machabaeorum (2 mach. 7) a Syris vocatur Semonitha ܫܡܘܢܝ, quod decurtatum puto ex ܚܫܡܘܢܝ Hasmonaea.

laniaberis et septem fratres videbunt humiliationem tuam, filii Semonithae, qui a lupis tuis dilaniati sunt. [30] Illudet ignis cranio tuo, quemadmodum narravi, propter duo capita Nazaraeorum, filiorum matrum sterilium. [31] Narrabit ignis in capite tuo, quod mater et filia ejus illuserunt capiti Joannis, quia tu eas insanire fecisti. [32] Flamma illudet capiti tuo, o Male, quia illusisti capiti Joannis in patina.

LVIII. Carmen septimum ejusdem modi.

[1] Ecce Mors jam antea praevenit, ut irrideret diabolum, qui destinatus est, ut in fine irrideatur. (Responsorium: Gloria sit tibi, qui per crucifixionem tuam Malum vicisti et per resurrectionem tuam etiam de Morte victoriam reportasti!) [2] Et pro Domino nostro locutus est, maledicens illi, qui erat causa ignominiae et crucifixionis ejus. [3] Fovea ignea sit tibi sepulcrum, o diabole, quia blasphemasti contra vocem sepultam, quae aperuit sepulcra. [4] Ego novi Dominum meum et filium Domini mei; tu autem negasti Dominum tuum et crucifixisti filium Domini tui. [5] Hoc nomen: „interfector domini sui" te decet; sed ille interficiet te, quem interfecisti, in apparitione sua. [6] Super te omnes quatient capita sua, quia per te principes quasserunt capita sua super Domino vitae. [7] Eris calamus confractus sub pedibus justorum, quia per te calamum dederunt in manum sustentatoris omnium. [8] Coronâ spinarum coronatus est, ut indicaret, se coronam regni a domo David abstulisse. [9] Coronâ spinarum coronatus est rex regum, sed abstulit coronam a regibus eorum, quia eum hac ignominia afficiebant. [10] Per vestes ludibrii, quas dederunt ei, ipse eos irrisit, abstulit enim vestem gloriae a sacerdotibus et regibus. [11] Aceto cognata est memoria tua, o diabole; acetum enim porrexisti sitienti, qui est fons vitae. [12] Omnis homo elevabit manum

---

[30] Duo Nazaraei sunt Samson et Joannes Baptista.

LVIII. Pergit Mors, diabolo poenas describere, quae ei paratae sunt, quia Christo contumelias et mortem intulit; sed a diabolo rogatur, ne inutilibus disputationibus tempus perdat.

[5] Cf. 2. Regg. 9, 31.

suam contra te, quia roborasti manum, quae ferivit illum, per cujus
manum omnes creaturae sustentantur. [13] Caesus est manu et ab-
scidit manum a Cajapha; manus sacerdotii cessavit per defectum
unctionis. [14] Rursus super columnam extenderunt ad castigationem
illum, cujus columna praeiverat tribubus. [15] Columna flagellata
est super columna; profecta est e Sion et Sion ad interitum pro-
peravit. [16] Cum duo ligna ad crucem conjungerent, confregit duos
baculos, custodes eorum. [17] Ezechiel conjunxit duo ligna in uni-
tatem, sed per duo ligna crucis cessaverunt baculi eorum. [18] Duo
ligna sicut alae populum portaverunt; ecce duo baculi ejus con-
fracti sunt, sicut alae ejus. [19] Alas et sinum crucis extendit in
misericordia; inclinatae sunt pennae alarum ejus et portaverunt
gentes, ut iret in Eden cum iis. [20] Cognata est enim crux arbori
vitae, et ad cognatam suam perducit amicos suos, ut fructibus
ejus in ramis ejus pascantur. [21] Abi, ulula, lacrimas funde, Male,
de me et de vobis; nemo enim ex nobis intrabit in hortum vitae.
[22] D. Nunc, postquam id ipsa confessa es, o Mors, eni! dicam tibi,
quod tota haec oratio mihi infructuosa temporis jactura videtur.
[23] Abibo, inspiciam laqueos, quos disposui; tu quoque, o Mors,
avola et inspice omnes aegrotos. [24] Dominus noster abolevit
utrumque in duobus lateribus; Malus abolitus est hic et Mors illic.

LIX. Octavum carmen ejusdem modi.

[1] Ecce Mors a diabolo vindictam pro nobis exigit. Eamus, au-
diamus ignominiam ejus et gaudeamus, quia et ipse gavisus est
de ignominia nostra. (Responsorium: Gloria sit tibi a grege tuo,
quia per te Mors et diabolus subjecti sunt sub pedes ejus!)
[2] Mors: Suspendentur mali sursum versus, tu autem deorsum;

---

[13] Manus hic potestatem significat.

LIX. Hoc quoque carmine Mors diabolo poenas malitiae ejus destinatas recenset.

[2] S. Petrum capite deorsum verso secundum suam ipsius petitionem cruci affixum esse, testatur primus Origenes, tum Chrysostomus, Theodoretus, Prudentius, Hieronymus, Augustinus aliique.

deorsum enim Simonem in ligno crucifixisti. [3] Diabolus: De omnibus silui, o Mors, quia tempus meum jam ad finem inclinatur. Attamen hic Simon ipse obtestatus est: Hoc modo me crucifigite! [4] Si justi mihi maledicerent, utique non dolerem; sed indignatio Mortis mihi pejor est, quam ipsa gehenna. [5] M. Ignominiam Domini non commemoravi, quia nimis excelsa est ori meo, quam ut comparem et aequem passionem ejus cum tuo cruciatu. [6] Duodecim thronos eriget duodecim apostolis, ut per duodecim tribus condemneris. [7] Gratis laqueo suspendes te, o diabole, quia ille discipulus tuus suspendit se laqueo propter pretium, quod acceperat. [8] Fortasse gehenna evacuabitur per misericordiam, et tu solus remanebis in ea cum servis tuis. [9] Multae sunt maledictiones tuae et quomodo recensebo eas? Ecce omnes omnino maledictiones tuae implentur in membris tuis. [10] Pungent te mali in igne, quia tu eos malos fecisti; conquerentur de te: Cur nos huc adduxisti? [11] Conviciabuntur tibi peccatores, et fortasse pejor erit tibi inimicitia eorum, quam ipsa gehenna. [12] Hi omnes erunt tibi illic satanae, quemadmodum tu hic iis unus satanas fuisti. [13] Angeli prehendent et dejicient te, cum meminerint, homines per te Dominum suum ex alto in profundum dejecisse. [14] Omnes homines accurrent ad lapidandum te, cum non ignorent, per te accurrisse

---

[8] Ex hac Mortis observatione suspicari posset, S. Ephraemum ἀποκατάστασιν πάντων seu finem poenarum infernalium statuisse. Sed locus hypothetice intelligendus est et significat, diabolum etiam tum poenis subjectum mansurum esse, si omnes ab eo seducti a Deo veniam impetrarent, ut enormitas criminis ejus inde quam clarissime appareat. Eodem modo explicandus est alius locus huic similis in ed. rom. III 205 a, ubi ait poenas gehennae citius finituras esse, quam cruciatus scrutatorum. Ibid. 595 d non de reprobis agitur, sed, ut ex praecedentibus apparet, de iis, qui inter gehennam et paradisum reservantur et excruciantur, ut ante ingressum coeli plenam divinae justitiae satisfactionem dent. Etiam pag. 26 c. vel de iisdem agitur vel damnatis mitigatio tantum poenarum imploratur, quam etiam S. Augustinus credere videtur (Enchirid. § 112). Quod autem Ephraem pro Bardesane orare jubet, nil probat (ed. rom. II 558 f), cum de nemine cum certitudine sciri possit, num in statu gratiae mortuus sit necne. Ceterum S. doctorem aeternas poenas credidisse, aperte testantur plurimi loci, ut III 243 e. 311 a. b. 333 f. 638 c. 462 f. II 354c. 357 f—358 a.

populum insanum ad lapidandum creatorem. [15] In te, Male, ora omnia spuent cum indignatione, quia per te spuerunt in illum, qui sputo suo oculos coeci aperuit. [16] Tibi, Male, maledicetur ab omnibus linguis, quia per te blasphemaverunt in illum, qui aperuit ora clausa. [17] Laudetur ille, qui silens vindicavit oppressionem nostram, et per Mortem percussit Malum, ita ut vinceretur. [18] Jubilantes Osanna cantemus, fratres mei, sicut Gedeon, qui cum jubilaret, persecutores per se ipsos occiderunt.

LX. Nonum carmen ejusdem modi.

[1] O stuporem, qui repente accidit diabolo, fratres mei, quia peccatrix correcta est et sapientiam acquisivit! (Responsorium: Gloria sit unico soli, quia vicit Malum, et eidem sit laus, quia praevaluit Morti!) [2] Obstupuit Malus: Ubinam est risus ejus et ubi unguentum ejus? Ubi saltatio ornatusque apertus et malitia secreta? [3] Nam pro risu suo lascivo nunc sollicita est in fletu; crines suos abscidit, ut iis abstergeret pulverem a Jesu. [4] Nihil perduravit aut remansit in ea de doctrina mea. Evasit disciplinae nostrae et effudit omnia, quae eam docueram. [5] Abrenuntiavit etiam nobis et familiaritati nostrae, et, perinde ac si me nunquam vidisset, delevit imaginem nostram ex mente sua. [6] Vivum fermentum Jesu involitavit in eam; Jesus enim silebat, haec autem audax se intulit et intravit, quamquam non vocata. [7] Oblita est amoris nostri multorum annorum, et in uno temporis momento sustulit illum inter me et ipsam, et mortem in ejus loco posuit. [8] Nam pro risu fletu delectatur, et pro stibio pluvia lacrimarum, et pro elegantia aspectu contristato. [9] Zachaeum institui caput fraudatorum, et hanc caput lascivarum; Jesus autem utramque hanc alam meam confregit. [10] Si Zachaeus ab eo edoctus est, et si haec ei obedit, jam impediverunt artificia mea. [11] Jam idola derisioni erunt, et sculptores eorum subsannationi et cultores eorum risui. [12] Ego

---

LX. Diabolus conqueritur de conversione peccatricis et Zachaei, et timet, ne per mortem Jesu et praedicationem apostolorum sua in homines dominatio omnino tollatur.

hominibus oculos occlusi, ne perspicerent, illa sculptilia esse; Jesus autem aperit oculos, ut videant illa manufacta esse. [13] Si Jesus eligit sibi praedicatores, silentium imponetur nostrae praedicationi, qua plenus est mundus. [14] Ecce enim vexantur Chaldaei cum hariolis, et pythones cum magis, et pontifices cum omnibus malitiis. [15] Pontifices, jam finivistis et exspirastis! Jam abite harioli, agrum potius colite! Chaldaeus quoque libros suos plicet! [16] Si Hebraei facti sunt discipuli ejus, qui per omnia miracula subjugari non potuerant, quis ex gentibus ei non obediet? [17] Si incipit rectificare perversos, rem nostram dissolvet; certe non jam haesitabit adversus nos ille, qui increpat omnes homines. [18] Quod in omnibus templis adoratus sum, nunc nobis magis in contumeliam, quam in honorem evenit, quia omnes exspuunt in altaria nostra. [19] Caro sacrificata jam detestabilis facta est, et idola dissecantur; sculpturae comburuntur sub ollis hominum. [20] Omne opus nostrum jam destinatum est irrisioni, et omnia, quae aedificavimus, dirutioni, et tota doctrina nostra perturbationi. [21] Mysteria secreta, quae eos docui graviter, detegentur in tectis. [22] De Aegyptiis magis superbus sum, quam de aliis omnibus populis, quia vel caepas et allium adorabant. [23] Sed timeo, ne etiam hic, ubi error tam grandis est, veritati succedat, ut Jesus et hîc multo magis regnet. [24] Si enim cum puer adhuc esset, et fugeret, et descenderet, obstupuit Aegyptus et cantu suo blandita est ei et haec suffocatrix infantium hujus infantis miserta est, [25] num fortasse descendit, ut ei arrhabonem daret, et sicut desponsans affirmaret, se, postquam adultus sit, eam in matrimonium accepturum esse? [26] Pharao non potest pedem movere; non enim balbutiens est, quem decipiat, nec servus, quem mendaciis fallat. [27] Aegyptii restiterunt, cum Moyses percuteret eos, et Hebraei rebellaverunt, cum populum castigaret; Jesus autem ipse caesus est et omnes vivificat. [28] Mirum hoc est, quod ipse flagellatur et alius inde

---

[26] Jesu non resistere possunt Aegyptii, sicut Moysi.
[27] Verti quoque potest: et omnes percutit.

eruditur, ne per vim jugum suum resistentibus imponat. 29 Sputum oris ejus abstersit et abstulit contumeliam Adami; per percussionem maxillarum suarum exstirpavit iracundiam nostram e discipulis suis. 30 Per clavos, quos accepit, me dolere fecit. Gaudebam, cum eum crucifigerem et nesciebam, quod me ipsum crucifixerim in crucifixione illius.

LXI. Decimum carmen ejusdem modi.

1 Prudenter audiamus Mortem, o dilecti mei, quae nos accusat propter fletum et ululatum nostrum! (Responsorium: Gloria sit tibi, qui descendisti immersistique post Adamum et invenisti Adamum et in eo filios Adami!) 2 Et merito forsan ait: Occiditis sine misericordia, et fletis quasi misericordes. 3 Vos me fecistis perniciosam, o occisores, vos invicem enim sine me interficitis. 4 Jam antequam mors advenire cupit, gladius eam praevenit. Videamus, contra quem sanguis interfectorum clamat. 5 Contra vos clamant strangulati vestri, qui coarctati erant; pudet enim me funis strangulationum vestrarum. 6 Omne otium mihi aufertis, quia sine me suffocati et interfecti vestri non possunt in haden intrare. 7 Ecce infantes vestri ejiciuntur, sicut in Aegypto; filios vestros daemonibus sacrificatis, o daemoniaci! 8 Antequam mors cupivit gustare de cadaveribus vestris, Cain primus implevit me sanguine humano. 9 Cum adhuc mortem Adami patienter exspectare contendissem, vos ante legitimum tempus me dominare fecistis super corpora vestra. 10 Effregit Cain gladio suo portam hadae; clausa enim erat et ante definitum tempus praeaperuit eam. 11 Via hadae etiam sine me trituram suam per vestros labores accipit; ego enim ambulo in via, quam vos mihi trivistis. 12 Nongentos annos sedi et exspectavi mortem Adami; Cain autem ne per unam quidem diem fratri suo vitam reliquit. 13 Latrones in viis me pejores sunt;

LXI. Reprehenduntur homines, quod tot lacrimis et lamentationibus de Morte conqueruntur, quamquam ipsi ea multo pejores sunt et socios suos interficiunt, antequam Mors eos abducere voluit.

ego dormio, illi autem vigilant, ut interficiant. 14 Ecce occisi vestri sunt in sepulcris et interfecti vestri in viis et strangulati vestri in palis vestris. 15 Si ego, inquit Jehu, rebellavi contra dominum meum et interfeci eum, quis percussit omnes hos? 16 Et si ego Mors abduco defunctos vestros, quis interficit strangulatos et interfectos et gladio occisos? 17 Vos vobis invicem estis Satanae, sed diabolus tantum odio habetur; vobis invicem estis pestes, sed Mors sola vituperatur. 18 Voluntas vestra est vobis diabolus et occisor, sed omnes accusant Mortem et diabolum. 19 Vos vobis invicem venenum mortis propinatis; quot mortes habetis praeter me! 20 Doli, insidiae, laquei, gladium, venenum, quot mortes a vobis et in vobis gignuntur! 21 Judex in judicio altera est mors; hic interficit pro praemio secreto, ego autem gratis. 22 Vidi corruptelam et obstupui, quantum mihi praecurrit; quot enim occisos interficit largitio, et nemo animadvertit! 23 Pudet me, quod imperite me gero; si enim vel unicum cadaver abduco, omnes animadvertunt. 24 In domibus fletur et in plateis ululatur, et usque ad portam hadae de me gemunt. 25 De vobismet ipsis gemite, quod odio tam digni estis et me odistis; Hades in posterum de vobis gemet, o occisores! 26 Tormentis, flagellis, igne et lapidibus homines interficitis et insuper superbi estis. 27 Ego sum vobis verecundior et misericordior et reverentior; cum reverentia enim abduco defunctos vestros. 28 In lectis blandior aegroto et quiete eum somno temporario consopio.

LXII. Undecimum carmen ejusdem modi.

1 Ecce mors, rex silentii, accusat nos, fratres mei, quod impleamus locum suum ululatu desperato. (Responsorium: Gloria magna sit tibi, qui descendisti ad nos inferiores, et passus es et resurrexisti et tuo corpore corpora nostra resuscitasti!) 2 Nos,

---

LXII. Hoc quoque carmine Mors homines vituperat, quod, sicut pueri insipidi, de mortuis inutiliter flent; iisque consilium dat, ut potius pro mortuis orent.

qui flemus sicut insani in portis hadae, audiamus, quae ait Mors,
increpans nos: 3 Pudet me, inquit Mors, quod me vicistis; dimi-
dium hadae non sufficit ad hauriendos occisos vestros. 4 Aliena
enim cadavera coacervata sunt in hade; duae partes ibi sunt, de-
functi et occisi. 5 Ecce fletis, quamquam mihi conveniret conqueri,
quod me superastis; vos enim contrivistis portam hadae et me
laesistis. 6 Similes enim estis infanti, qui, dum flet, rursus ridet;
hoc modo etiam vos mortuos vestros lugetis. 7 Insipidi enim estis
in tristitia vestra, et amentes in risu vestro; infantibus ablactatis
mihi similes esse videmini. 8 In una hora est fletus et lamentatio,
et post paucum tempus rursus lusus et lascivia, sicut puerorum.
9 Non enim viri perfecti esse potestis sine fletu et sine risu, sicut
prudentes. 10 Dolemus de libris vestris; ii enim, qui vobis haec
scripta divina praelegunt, inutiliter conterunt ea. 11 Lectores valde
clamant, quia surdi estis; hic clamor docet vos sicut stipites esse.
12 Cum enim lector et explicator magnopere clament, aut aures
vestrae aut corda vestra debent esse surdastra. 13 Si enim esset
vobis auris, cui persuaderi posset, deceret vos paucum audire et
multum facere. 14 Quia autem clausus est auditus, quando eum
pulsat illa vox, rursus redit ad illum, qui eam emisit. 15 Apud
me non est clamor, quia non surdus sum, nec lector aut expli-
cator, quia non hebetioris ingenii sum. 16 Spiratio Dei veritatis
mihi pro praecepto est, et una cum mandato etiam exsecutio a me
perficitur. 17 Non est apud me pigritia, nec ambages; puto, nec
telum me praevenire posse. 18 Contemno autem voces vestras
quando in desperatione fletis super sepulcris defunctorum vestro-
rum. 19 Si liceret aut permissum esset, ego exirem, quando fletis,
ut vos in faciem objurgarem. 20 Ego enim laboro, ut rationem
mortuorum reddam; vestrae autem voces perturbant me, ut obli-
viscar rationis meae. 21 O gentes, ne sit mens vestra puerilis,
sicut populi illius, cujus intelligentia nunquam magna fuit! 22 Nun-
quam enim apparuit in eo intelligentia, sicut in stulto, quia tene-

---

11 Verti quoque potest: vos sicut onagros esse.

brosa erat cogitatio ejus sine prudentia. [23] Infantes enim et pueri vestri primi egredientur in resurrectione, tamquam primitiae; [24] post eos autem justi, tamquam victores, et ultimi egredientur peccatores, tamquam pudefacti. [25] Etsi enim in uno temporis momento reviviscent, tamen series eorum ordine ex hade egredientur. [26] Egredientur prophetae et apostoli, et patres sancti post eos, ex ordine secundum mandatum. [27] Ii, qui nunc promiscue sati sunt, exacto ordine reddentur sicut legumina. [28] Quamquam enim homo promiscue seminat omnia semina, tamen illud, quod alio maturius est, aliud praevenit. [29] Nec, quemadmodum permixtus erat descensus eorum, etiam perturbatus erit ascensus eorum ex terra, sed ordine dispositus. [30] Ecce mihi ipse obfui per haec, quae dixi; arcana enim, quae non invenistis, a me didicistis. [31] Pro lacrimis inutilibus super sepulcro, effundite potius eas in ecclesiis in precatione. [32] Per has enim mortui et vivi utilitatem percipiunt. Nolite autem flere fletu, quo contristantur mortui et vivi!

LXIII. Duodecimum carmen ejusdem modi.

[1] Quis perpendet praemium Abrahami, quem admiratus sum, cum vinciret filium suum unigenitum. (Responsorium: Gloria sit tibi, o vox, quae vivificasti mortuos hadae, ut ascenderent et fierent praedicatores filii ejus, qui omnes vivificat!) [2] In illo tempore anhelans exivi, ut viderem miraculum, quod strictus erat culter ejus contra dilectum ejus. [3] Collegi et multiplicavi undique reminiscentias meas, et animum meum collegi, ut admirarer illum nobilem. [4] Quomodo vos legere potestis magnam illius historiam? Dedecoratis enim lectionem ejus in auribus vestris. [5] Gladius

---

[23] De hac infantium praerogativa cf. quae dicta sunt in prolegomenis.

LXIII. Exemplis Abrahami, Jephte, regis Moab, Job allatis Mors hominibus persuadet, ne fleant de mortuis; hortatur autem eos, ut per piam vitam bonam mortem sibi parent.

Jephte condemnat lugentes; filia ejus erat ei speculum resurrectionis
mortuorum. 6 Sicut illa dedit animam suam patri suo, sic et vos
commendate vitam vestram patri omnium in ultima hora! 7 Nonne
experti estis praefigurationem hadae in utero? In hade enim ad-
huc multo magis quieti estis, quam in utero. 8 Durum est, si in-
surgitis contra magnam voluntatem meam; ecce enim ad vestram
ipsorum utilitatem abduco defunctos vestros. 9 Per regem Moab,
qui propriis manibus filium suum mactavit, vituperatur is, qui
ululat ob defunctum suum. 10 Ille erat paganus, sicut legitis; vos
autem doctores et praeceptores, sicut creditis. 11 Ille toleravit et
vos lugentes insanitis contra voluntatem Domini omnium per fletum
vestrum. 12 Ego enim timeo, ne pertransire faciam historiam Job
per hoc os meum debile, quia indignus sum. 13 Pari quoque modo
caveo ab ossibus sanctorum, quamquam eum laudo, qui mihi con-
cessit, ut ad me venirent. 14 Nolite peccatis dedecorare membra
vestra; contempta enim sunt in hade ossa eorum, qui peccaverunt.
15 Si corpus mali alicujus video, conculco id et maledico etiam
memoriae ejus. 16 Si autem video os alicujus justi, deduco et
adorans honorifico illud. 17 Non intelligitis, o debiles, omnia in-
stituta mea; apud vos perturbatae sunt institutiones, quia coeci
estis. 18 Moysem tantum sicut me honorasse scio ossa Josephi,
quem et ego magnifico. 19 Moyses autem unum tantum corpus
purum honoravit, ego autem corpora et ossa omnium justorum.
20 Splendent ossa prophetarum et apostolorum; lucernae sunt mihi
in tenebris omnes justi. 21 Adoro eum, qui illuminavit mihi tene-
bras hadae; splendor Moysis erat mihi sol, quantusvis fuerit.

LXIV. Decimum tertium carmen ejusdem modi.

1 Cur fletis, o debiles, super mortuis vestris, qui per mortem
requiescunt ab aerumnis et peccatis? (Responsorium: Gloria sit

---

12 Ideoque exemplum regis pagani potius adduco.

LXIV. Ait Mors, etiam diabolum magnopere ridere et gaudere de eo, quod homines mortuos suos immoderate lugent et deflent, de animarum autem salute minime solliciti sunt.

illi, qui toleravit omnia pro omnibus hominibus, et qui pro omnibus mortem gustavit, ut omnes resuscitaret!) [5] Revelabo vobis, quod etiam diabolus, cum valde quietus sit de lacrimis vestris, magnopere ridet tristitiam vestram. [3] Per ludibrium mihi nictat et nutat, sicut sannio: „Veni, rideamus peccatores, quod tam insani sunt! [4] Reliquerunt nimirum cogitationem illius ignis, quem ego occultavi iis, et inebriati sunt stulti fletu ob mortuos suos. [5] Flere deberent de eo, quod mortuos eorum tamquam sine viatico discidi et abduxi; sed ecce insani sunt. [6] Animae impiorum aerumnas sustinent usque ad diem judicii; hi autem flent super sepulcris eorum sicut insani. [7] Non curant, quod per peccata sua fortasse jam crastino die ipsi cum magno pudore suo ad mortuos suos venient. [8] Et hoc modo similiter pudefient omnes generationes; in hade frustra debiles poenitentiam agent. [9] Relinque ebrios et insanos usque in diem illum, in quo vinum excutiet, qui per ejus potum insanus est. [10] Ibo et congregabo illos, sicut infantes, ut narrent et insaniant, donec pereant." — [11] Ecce aperui vobis etiam mysterium secretum collegae mei; egredimini igitur, abite, emendamini poenitentia! [11] Nunc autem relinquite me, ego quoque abibo ad inspicienda negotia mea, ut Domino meo cum bona fiducia rationem reddere queam. [13] Scio quidem, ventum, cum spiraverit, ablaturum esse verba mea; vos enim adhuc iidem estis, quos jam saepissime exploravi. [14] Memini Jeremiae comparantis impudentiam cum Indo, cujus color mutari nequit, quamquam illa res est liberi arbitrii. [15] Haec est enim ipsa proprietas liberi arbitrii, quod se ipsum alligat per voluntatem, tamquam per naturalem necessitatem. [16] Voluntas enim tam potens est in libero, ut comparari possit in effectibus suis cum naturae necessitate.

LXV. Decimum quartum carmen ejusdem modi.

[1] Homo: O Mors, noli contemnere imaginem Adami, quae sicut semen terrae commendata est usque ad resurrectionem!

LXV. Resurrectio mortuorum Morti, quae eam negat, ab hominibus demonstratur.

(Responsorium: Laus sit tibi, qui descendisti et immersisti ad quaerendum Adamum, et extraxisti eum ex profundis hadae et induxisti eum in Eden!). [2] Mors: Miror hoc, quod vos semen dicitis; ecce enim jam per quinque millia annorum nondum progerminavit. [3] H. Finietur haec habitatio ejus, tamquam hiems, et veniet quasi manipulus per resurrectionem in horreum vitae. [4] M. Vindemiam esse scio, nunquam autem vidi mortuos seminatos aut messos. [5] H. Erit messis, o Mors, quae te exinaniet, et egredientur angeli messores, qui te orbabunt. [6] M. Quando, quaeso, fui agricola pro vindemiatore? Quis haden, qui torcular est, agrum fecit? [7] H. Nonne docet te semen corruptum et perditum et desperatum, quod tamen per pluviam rursus spem accipit? [8] M. Vos debiles somnium vidistis resurrectionis mortuorum; vigiles enim non videtis resurrectionem. [9] H. Somnolentia tua impedit te, quominus videas multitudinem figurarum, quae reclamant resurrectionem. [10] M. Scio semina reviviscere, nunquam autem vidi ossa efflorescere in hade et progerminare et ascendere. [11] H. Totus sermo tuus tibi similis est, ecce enim Ezechiel docuit te in campo, quomodo reviviscerent mortui. [12] M. Vidi arbores in aestate rursus indui vestimentis suis; ossa autem nuda in hade jacent. [13] H. Moyses per splendorem suum confregit cor tuum, o Mors; filius Adami repetiit gloriam Adami et induit eam. [14] M. Observatio silentii est lex nostra in hade; vos loquimini et ego ago, o debiles! [15] H. Quomodo in vita relinqui possent senes, si tu ipse vindemiator hominum esses. Ille autem, qui te cohibet a vita eorum, omnes resuscitabit. [16] Foetus in utero sepultus redarguit te; nobis praedicat resurrectionem et tibi depraedationem. [17] Flos contemptus contemnit te; est enim inclusus et relictus, sed quamquam perditus videtur, non tamen perditus est, quia rursus efflorescit. [18] Pullus sepultus clamat ex ovo et aperiuntur sepulcra per vocem et exsistit corpus. [19] Nam etiam pullus in ovo corpus est; corpus ejus praedicat nostro corpori resurrectionem mortuorum. [20] Per locustam ad nihilum redigitur et finitur causa tua, o Mors; illa enim ex pulvere egreditur, resurrectionem docens. [21] M. Mihi non ingratum fuisset, si jam pridem accidisset resurrectio; magis

quietus enim erit mihi dies resurrectionis, quam vestra judicia. [22] Misericors est filius altissimi, bonus et justus, nec vindicabit a me dure mortem Adami. [23] Fortasse mente caretis, ut intelligere nequeatis, patrem vestrum hunc reatum mortis vobis imposuisse.

LXVI. Decimum quintum carmen ejusdem modi.

[1] Silete paululum, o mortales, inquit Mors, mihique similes estote, quae tam tacita sum in hade. (Responsorium: Gloria sit tibi, o vigil, qui descendisti ad dormientes et emisisti vocem in cruce et excitasti eos!). [2] Laboratis et rursus fletis super mortuo, perinde ac si mihi molam in hade molere deberet. [3] Econtra autem magnam quietem praebeo fatigatis; non sicut vos laboro aut laborare facio. [4] Audio omnes maledictiones ab ingratis; filii enim Adami Adamo similes sunt, qui ingratus erat contra Dominum suum. [5] Sibi invicem contraria sunt voces vestrae et opera vestra, quia omni die voce fletis et opere pugnatis. [6] Fletum audivi et neminem laborare putavi; laborem vidi et neminem mori putavi. [7] Contentio et labor hominum me in opinionem induxit, eos immortales esse, fletus autem magnus eorum me credere fecit, eos crastino die morituros esse. [8] Audite, ero vobis consiliator, si vobis placet, haec enim duo onera sunt acerbissima. [9] Relinquite paululum et hunc laborem et fletum; laborate et flete sicut mortales, quorum vita cras finietur. [10] Insanitis in defletione defunctorum vestrorum, et exhauritis vos in labore pro possessionibus vestris. [11] Bene moriuntur et benedicti sunt mortui infantes, quia liberati sunt ab aerumnis, quibus vos subjecti estis. [12] Relinquite me, ut abeam in haden et ibi loquar: Beati estis, mortui silentes, quanta quiete perfruimini! [13] Audite conclusionem ex verbis vestris: si resurrectio est, ut ajebatis, nolite flere aut laborare, utpote hospites! [14] Laboratis, sicut homines, qui hic in aeternum victuri sint, et rursus fletis, sicut homines,

---

LXVI. Mors reprehendit homines, quod mortis sibi instantis immemores, toto animo in inanes hujus vitae labores, aerumnas, contentiones intenti sint, et rursus quod mortuos suos fletu immoderato plangant.

qui non resuscitabuntur. [15] Audite verba mea, si adhuc audire potestis, et praeparate vobis viaticum, ut respondere possitis, quando vos vocabo! [16] Nam et ego obediam illi, qui me vocabit, et reddam corpora vestra cum thesauris vestris. [17] Pax sit inter nos usque ad illum diem, et quando egrediemini, exclamabo et loquar: Abite in pace! [18] Venite nunc, ut vos et ego laudem afferamus illi, qui occidit et vivificat, ut inde auxilium ferat! [19] Gloria sit tibi, Domine, ab omnibus nobis, o sacrificium vivum, qui per sacrificium corporis tui salvasti vivos et mortuos! [20] Gloria sit illi, qui corpore nostro indutus mortuus est et resurrexit! Per nos mortuus est, et per illum vivificati sumus; laudetur is, qui misit illum!

LXVII. Carmen decimum sextum ejusdem modi.

[1] Venite, audiamus, quomodo Mors arguit populum judaicum, quod ejus gladius durior fuerit in justos, quam ipsa Mors. (Responsorium: Gloria sit tibi, qui per sacrificium tuum solvisti contumeliam nostram, et cujus mors pro omnibus mortibus est, quia omnes resuscitabit!). [2] Non Mors Jesum crucifixit, sed populus; quanto ergo odio dignus erit populus, cum magis odibilis sit, quam ego! [3] In foveam lutulentam jecerunt Jeremiam, ego autem in hade honorem tribuo ossibus ejus. [4] Naboth lapidibus eliserunt tamquam canem; quanto melior ego sum, cum nec canem unquam eliserim. [5] Mulieres hebraeae in fame comederunt infantes suos; melior utique est Hades, qui eos liberat et sine difficultate reddit. [6] Viduae reddidi filium suum per Eliam, Sunamitidi dilectum suum per Elisaeum. [7] Mulieres hebraeae edaces comederunt infantes suos; Hades autem reddidit mortuos et didicit sobrium jejunium.

---

[16] Thesaurus idem est ac antea viaticum, bona scilicet opera, quibus homo post mortem adjuvatur.

LXVII. Mors demonstrat, populum judaicum multo magis nocentem esse, quam se ipsam.

8 Hades non est ipse hades, sed tantum figura ejus; Jezabel erat
verus hades, quae devoravit justos. 9 Filios prophetarum et pro-
phetas occidit et in haden dejecit; Elias a furore ejus in coe-
lum effugit. 10 Quot mortes pro unica Morte fuerunt in populo,
et quot hadae pro unico fuerunt ibidem! 11 Samaria et filia ejus
Jezrael in Israel, et Sion sororque ejus Jerusalem in Juda! 12 In
his duabus voraginibus suffocaverunt prophetas et justos, qui erant
in Juda et in Israel. 13 Cur igitur solus Hades exosus est, cum
multi alii odio magis digni sint, quam ille? 14 Mortui Judaeorum
mihi valde exosi sunt; detestor etiam ossa eorum in Hade. 15 Uti-
nam ejicere possem ossa eorum ex hade, quia foetere faciunt eum!
16 Miror, spiritum sanctum tam diu habitasse in populo, cujus
odor aeque foetidus est ac mores ejus. 17 Cepae et allium prae-
dicatores sunt operum illorum; mens enim populi hujus lascivi si-
milis est escae ejus. 18 Per precationem omnium, qui genuflexi
adorant patrem tuum, miserere mei, adoratoris tui, qui ingratus
fui adversus amorem tuum! 19 Ab Hebraeis et Aramaeis et ab
angelis sit tibi gloria et per te etiam patri tuo glorificatio! 20 Pro
eo, quod os fui Mortis, quae os non habet, filius, qui totus est
os, occludat delicta mea patri suo!

LXVIII. Decimum septimum carmen ejusdem modi.

1 Homo: O Mors, noli superbire, quia justi, filii domini tui,
per ejus mandatum ad te venire debent. (Responsorium: Gloria
sit tibi, per cujus mandatum regnavit Mors, et per cujus resur-
rectionem humiliatus est sicut mendicus!). 2 Mors: Ex hoc, quod
protulistis, ego adhuc magis glorificor, scilicet quod liberos con-
culco, cum ipsa serva sim. 3 H. Adam electus et dominus erat,
et sub jugo ejus serviebatis, tu, o Mors, et diabolus, collega tuus.
4 M. Haec ipsa est gloria nostra, quod nos, qui antea servi eramus,
domini facti sumus, et quod ego et diabolus, collega meus, con-

---

LXVIII. Mors primum de potestate sua cum hominibus disputat, tum iis demonstrat, se odio et inimicitiae eorum non dignum esse, sed per ipsorum tantum liberum arbitrium omnia mala mortis exstitisse.

culcavimus Adamum. [5] Ecce humiliationem tuam et collegae tui, o impii servi! Henoch enim vos duos conculcavit et evolavit et regnavit. [6] M. Etsiamsi Henoch me contristavit, consolationem ex eo accipio, quod in hade pulverem Noë conculco. [7] H. O Mors, time hominem; quamquam enim servus est, jugum dominationis ejus regnat super omnes creaturas. [8] M. Gaudendum mihi est igitur, quod non viles vici; quo magis enim exaltatur victus, eo magis magnificatur victor ejus. [9] H. Valde gemit vox tua, o Mors, de justis; Henoch enim et Elias confregerunt utramque alam tuam. [10] M. Scio me dolores meos consolationibus meis compensare posse; nam pro his duobus innumerabiles venerunt et adhuc veniunt. [11] H. Omnes, qui ad te venerunt et veniunt, hospites tantum sunt; habitant et relinquunt domum tuam, sicut Lazarus. [12] M. Haec vox vestra me multo magis sanavit, quam vulneravit; Lazarum enim, qui contra me rebellaverat, postea rursus subjeci. [13] H. O Mors, interrogationi responde et quaere, quaenam potuerit esse causa resuscitationis ejus, nisi ut per eam praefiguratio resurrectionis pingeretur? [14] M. In disputando bene versati estis, tamquam otiosi; ego autem in opere meo laborare debeo, ut dijudicem et perficiam illud! [15] H. Alias valde parata esse soles ad disputandum; quid nunc deterruit te? Veritas resurrectionis nostrae afflixit te, quando de ea disputatur. [16] M. Exosam me apud vos constituistis, quamquam odio non digna sum; ego enim quiete dono senes et afflictos vestros. [17] Perniciosam me reputatis, o mortales; Adam interfecit vos et ego calumniis petor. [18] Leniter tantum vos detegere volo, quia servus sum; vos autem per peccata vestra me regem super vos constituistis. [19] Voluntas Adami excitavit me, cum antea quievissem; mortua eram, et vos me vivificastis, ut per me moreremini. [20] Accuso mendaces, qui interfecerunt et negaverunt; Adam enim se ipse interfecit et me culpavit. [21] Initium controversiae erat serpens maledicta, quae merito clauda facta est. Illa enim arreptavit, advenit et posuit disputationem inter me et vos. [22] Diabolum relinquitis et contra me litigatis; exite potius, pugnate cum Malo, qui vos superavit! [23] Non nego quidem eum esse collegam meum, sed qua de causa

ego propterea conviciis petor, quia ille valde exosus est, praesertim cum eum jam abnegaverim? [24] Audite verba mea, o mortales, ut vos consoler; ego contristavi vos et ego confiteor resurrectionem mortuorum. [25] Incipit enim stillare in aures meas sonus praeparationis tubae, quae ipsa clangorem suum procurat. [26] Audite verba mea et augete oleum lucernarum vestrarum; a me enim hac in re minime impediemini. [27] Sciatis, quamquam haec dixi, tamen valde dilectum esse sermonem vestrum solitudini hadae. [28] Perpendi enim hominem et magna est pax ejus, quia serpentes et pisces et aves ad eum veniunt. [29] Miror autem, quod etiam angelis dilecta est conversatio ejus, immo quod ipse diabolus quaerit comitatum ejus in gehennam. [30] Vobis, o mortales, erit vivificatio mortuorum, ego autem, quae orbavi, orbabor in hade. [31] Glorificatio ascendat tibi ab omnibus, o vivificator omnium, qui undique colligis pulverem Adami.

LXIX. Ad modum: Nuntius delirationem.

